


**Apotheosis Papæa Ad Illvstrandvm Locvm Apostolicvm Il. Thessal. Il, 4 :  
Dissertatione Academica Detecta Qvam In Universitate Holsat. Christian-  
Albertina**

Recusa, [Erscheinungsort nicht ermittelbar]: [Verlag nicht ermittelbar], MDCCXXVII.

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870131540>**


Druck Freier Zugang



24 p  
 99  
 Pr. 52 p  
 Pr. 32 p  
 45 p  
 42 p  
 44 p  
 22 p  
 31 p  
 A-B  
 16 p  
 17 p  
 74 p  
 Pr. 56 p  
 58 p  
 44 p  
 A-C  
 35 p  
 28 p  
 40 p  
 20 p  
 32 p  
 48 p  
 80 p  
 25 p  
 24 p

a. b  
 a-E  
 a-C  
 36 p  
 20 p  
 24 p  
 A-C  
 44 p

Fa-1092 (99)




57. 5.

Contenta:

1. J. Fr. Mayer, de Electione pontificis,
2. Vaticinia curiosa de Pontificibus Rom.
3. Th. Crüger, de Successione continua pontificum Rom. secundum vaticinia Malactia Episcopi Armaghani,
4. C. M. Pfaffius, de Successione episcopali qua in tota Rom. ecclesia dudum defecit.
5. J. C. Wagenheil, de Romanis pontificibus,
6. J. A. Hartmann, Vita Innocentii III. Pont. R.
7. G. Remus, Commentum putidum, calcasse collum Imp. Friedericil. Anobisba Alexandrum III. Pont. R.
8. Missiva principum apostolorum Petri et Pauli ablegata Romam ad Paulum V. Pont.
9. J. F. Mayer, de Titulo Pontificis, Servi servorum,
10. C. Röhrensee, Ratio Status curia Rom. circa quaedam religionis sua capita,
11. B. Biberstein, de Pravaricationibus Pontificum Rom. in Principes Imp.
12. J. D. Kiesling, de Artibus episcopi Rom. in stabilienda monarchia,

13. B. Goth. Aruvius, Vindicia Juris Imperatorii adversus urbis Romae Episcopos ab ipsis Augustis facta,
14. Jo. Z. Hartmann, de Jure Imperatoris circa canonizationem Hildebrandinam,
15. J. W. Jegeri Defensio Imp. Josephi contra Rom. ecclesia Bullas,
16. C. Kortholt, Apotheosis Papae,
17. C. S. Ziegler, de Monasteriis Pontificiorum ab oneribus tempore belli Turcici non peritus exentis
18. J. Fr. Mayer, de Cardinali Decano,
19. G. H. Goetze, de Benedictione Papae
20. Ejusd. de censuris pontificiorum venenatis
21. Ej. de Insidiis pontificiorum juventuti scholasticae strui solitis
22. J. D. Koeler, de Donatione Mathildina Pontifici Rom. facta,
23. J. F. Joachim, de spurio Mathildino dono
24. C. H. Feibich, de Pallio Mariae tutelari
25. P. C. Mitternacht, Maria Gumboldt-pignus
26. Jo. A. Gleich, vom Großen Griefpfeil,

27. *Bella elementi gemini pugna divo Jo-*  
*anni Nepomuceno martyri an a*  
*flumine, an a lumine, quo coelitus*  
*deciduo coronatus gloriosiori affe-*  
*ctuose devota, decisa.*
28. *Z. Grapius, de Rosa aurea à Papa Rom.*  
*quotannis solemniter consecrata,*
29. *J. G. Neumann, de Missionarius pon-*  
*tificum,*
30. *J. C. Danthauer, de Festo corporis*  
*Christi,*
31. *D. Gvil. Moller, de Malleolo Jobeleis*
32. *Jo. Dieckmann, de Primis et antiquis-*  
*simis Joannis Papisæ præconi-*  
*bus,*
33. *C. C. Handel, de Johanne VIII. Pont.*  
*qui foemina fuit sexum mentita,*
34. *C. A. Heumann, de Origine vera tradi-*  
*tionis falsa de Joanna Papisæ,*



16.  
A P O T H E O S I S  
P A P Æ A

AD ILLVSTRANDVM LOCVM  
APOSTOLICVM

II. THESSAL. II. 4.

DISSERTATIONE ACADEMICA  
DETECTA

QVAM

IN UNIVERSITATE HOLSAT.

CHRISTIAN - ALBERTINA

PRÆSIDE

CHRISTIANO KORTHOLT

SS. THEOL. D. PRO-CANCELLARIO,

ET PROFESSORE PRIMARIO

PVBLICE VENTILANDAM

SISTIT

AD DIEM DECEMBR. clō Ioc xc.

M. ANDREAS SEINSHEIMER

NORIMBERGENSIS.

---

RECUSA MDEC XXVII.

M. ANDREAS BRINSHER  
D. THEOL. D. PRO. CANONICUS  
ET PROFESSOR PRIMARIO  
PUBLICE VENTILANDAM  
AD D. M. DECEMBER 1818  
CHRISTIANO KORTBOLT  
PRÆSIDI  
CHRISTIANI-ALBERTINI  
IN UNIVERSITATE HOLSAT.  
D. THESSALIAE  
D. M. DECEMBER 1818  
D. THESSALIAE  
D. M. DECEMBER 1818



# APOTHEOSIS

## PAPÆA.

### CONSPECTUS.

- I. *Quantam auctoritatem Pontifici suo Romana tribuat Ecclesia.*
- II. *Dictatus Hildebrandini.*
- III. *Papam non esse hominem, sed hominem majorem, Pontificii docent, & Pontifex ipsemet.*
- IV. *Eundem Angelis majorem esse & venerabiliorem, affirmant iidem.*
- V. VI. *De Papali ista arrogantia iudicium Erasmi absurdum & impium.*
- VII. *Nicolaus I. Pontificem Deum esse docet, qui ab hominibus judicari nequeat;*
- VIII. *Deumque adeo verum, non nuncupabilem talem.*
- IX. *Martini s. tituli Papales.*
- X. *Rabailiaci pronuntiatur: Papam Deum esse, & Deum Papam.*
- XI. *Papa Dominus Deus noster suis audit. Cujusmodi titulum quod Domitianus Imper. sibi arrogaverit, ne quidem Gentiles idololatre æquo animo ferre potuerunt.*
- XII. *Pontifex Leo de tribu Juda, Radix David, Sponsus Ecclesie, Romanistis dicitur: cum Sponsus Ecclesie solus Deus sit & Christus.*
- XIII. *Papa suis ille est, qui solvere potest 7. signacula libri Apocalyptici. Loca Isa. 42, 1. seqq. Ephes. 4, 5. Luc. 2, 29.*
30. *de eodem a Curia Romana parastitis accipiuntur.*
- XIV. *Aternitas & Omnipotentia Pontifici tributa.*
- XV. *Papa, si ipsi ejusque mancipiis credimus, rerum naturam immutare potest, de nullo aliquid facere, nova fide, dogmata condere, vota, juramenta, matrimonia, dissolvere, Reges & Imperatores solio deturbare.*
- XVI. *Pontificem R. ne quidem in facte quaestionibus errare & falli posse, hodierni Jesuitæ docent.*
- XVII. *Novam hanc doctrinam Jesuiticam & Pontifice Deum, adeoque speciem idoli, facere, ipsimet Parochi & Theologi Parisienses agnoscunt ac demonstrant.*
- XVIII. *Eberhardi Salisburg. de affectata Pontificis Deitate testimonium.*
- XIX. *Adorationis cultus Papa in Romana Ecclesia desertur, Sabæi parodia Psalmi 31. idololatræ.*
- XX. *Adoratio nobiter electi Pontificis in ara collocati.*
- XXI. *Latria an Dulia Papam colere conveniat, inter Pontificios disputatur.*
- XXII. *Sublimiori quam Deus ipse loco Pontifex ab assentatoribus suis ponitur.*
- A 2 XXIII.

4  
APOTHEOSIS

- XXIII. Baronius mala omnia & calamitates publicas contemptui dignitatis Papalis imputat.
- XXIV. Majorem Pontifici honorem quam Hostia Eucharistica, utut Deum hanc esse credant, in Romana Ecclesia deserunt.
- XXV. Papa major quam Scripturae S. Verborumque θεοπνευστων apud Pontificios auctoritas.
- XXVI. Plusquam divina potentia Pontifici a suis tribuitur.
- XXVII. Deus, Pater sanctus Christo, Pontifex, Pater sanctissimus Romanistis.
- XXVIII. Tituli primariam Papae Deitatem praebentes.
- XXIX. Card. Pamphilius elogium idololatricum.
- XXX. Menini in Adulatores Pontificis ode.
- XXXI. Quo pacto cultum Papae idololatricum palliare conentur Pontificii.
- XXXII. Excusatio 1. quod modis loquendi hyperbolicis & impropriis utantur Papacola.
- XXXIII. Ejusdem illa indolis est, cum ea, qua olim Ethnici idololatria sua mythica colorem inducebant.
- XXXIV. Rosbæidi exceptio, quod Critici etiam Dei appellatione homines dignentur Criticos.
- XXXV. Responso.
- XXXVI. Excusatio 2. quod divina elogia Scripturaeque de Deo & Christo agentia testimonia ad Papam duntaxat accommodentur.
- XXXVII. Pontifici suis illa locorum Scripturae S. ad Papam accommodatione, anti-Trinitariorum causam jubant.
- XXXVIII. Bellarmini varia & inconstans de locis Isa. 13, 14. 28, 16. sententia.
- XXXIX. Excusatio 3. quod ipse Pontifex divinos sibi titulos non sumat.
- XL. Examen.
- XLI. Scripta apotheosin suam stabilientia Rom. Pontifex partim aperte approbat & confirmat, partim ita tolerat, ut non patiatur iis a quoquam contradici.
- XLII. Agrippa poenam luit, non quod Deum se dici mandaret, sed quod talem se dici a populo permetteret.
- XLIII. Sancti, quorum Scriptura S. facit mentionem, oblatos honores divinos non solum non receperunt, sed omnibus etiam modis recusarunt. Quorum exempla, Petri praesertim, cujus nempe successorem se jactat, cum imitari Papae deberet, contraria facit omnia. Polyd. Vergilii de his judicium. Quod ne Angelus quidem a S. Johanne soluit adorari, id in rem suam vertit R. Pontifex.



I. Quod

## I.



Uod libro i. Φυσικῆς ἀποδείξεως cap. ii. scripsit Aristoteles: Ἐνός ἀτόπου δοθέντος, τὰλλα συμβαίνει, *Dato uno absurdo, alia contingunt*; id de Romana Ecclesiæ scitis verissime dici potest. Ex quo videlicet semel erronea ibi opinio invaluit, Pontificem jure divino universæ Ecclesiæ caput esse, Episcopum œcumenicum, & CHRISTI in terris Vicarium, vah! quanto numero falsa alia, inepta quot & quam monstrosa dogmata, vel comitata illam sunt, vel mox sequuta! nempe, quod Ecclesiæ universæ Episcopi jurejurando obstringi Papæ debeant; & ab hujus nutu in omnibus pendere: quod a cunctis totius orbis Christiani Episcopis, Archi-episcopis, Patriarchis, ad sedem Romanam provocare liceat: quod a Pontifice Concilia omnia robur suum valoremque trahant; imo Scripturæ ipsius ab eo pendeat auctoritas, hujusque ille solus Interpretes fit, quemadmodum omnium de fide enatarum controversiarum Judex, ἀναμάχητος & fallere nescius: quod cetera etiam cunctos judicet, ipse autem a quoquam judicari adeo non possit, ut etiam, *se innumerabiles populos cateruatim secum ducat primo mancipio Gehennæ*, nullus mortalium eo nomine ipsum redarguere debeat. Et ne quid Pontificiæ deesset Sublimitati, eousque progressi tandem sunt Romanæ curiæ adulescentes, ipsique etiam Præsides, ut ultra humanam, quid? Angelicam sortem Papam extollere, imo divinitatem ipsam & plus quam divinitatem ei largiri non dubitaverint.

ii. Nihil a nobis heic fingi, nihil exaggerari, fatebitur, cuicumque placita Romanæ Ecclesiæ intimius sunt perspecta. Imo pleraque modo enumeratorum Papalium ἀξιωματικῶν aut conceptis verbis habentur, aut certe fundantur in famosis illis Dictatibus Hildebrandi, sive Gregorii vii, qui leguntur Regesti epistolarum hujus Pontificis libro ii, post epistolam lv, editique dicuntur in Synodo Romana, Baronio quidem anno cclxxxvi, Onufrio autem Panvinio, Gregorii vitam describenti,

Quantam auctoritatem Pontifici suo Romana tribuat Ecclesia.

c. Si Papa, dist. 40. Dan. 4. 31.

Dictatus Hildebrandi.

anno cl̄lxxiv. Etsi dictatum illorum *γνήσιον* auctorem haud esse Gregorium vii, multis ostendere satagit Joannes Launius, Theologus Sorbonicus, parte vi, epistola xiii, p. 542. seqq. Quam litem nunc nostram non facimus; quibus sufficit, irrefragabilis eos apud Pontificios auctoritatis esse, & tantæ, ut Jesuita Gretserus, ubi in edito a se Onufriano libro recitantur, margini adjicere, quamvis impudentissimo calamo, ausus fuerit: *Hæc omnia decreta ex jure divino deducuntur.* Quia tamen nonnulla illorum, quæ Papæ tribui supra memoravimus, sic omnem humanam ambitionem excedunt, ut vix credi posse videatur, vel delata ei talia a quoquam, vel ab ipso unquam admessa esse; operæ pretium fuerit, num., quæ diximus, ita se habeant, curatius aliquanto dispicere.

Papam non esse Hominem, sed homine majorem, Pontificii docent, & Pontifex ipsemet.

iii. Primo igitur observetur, in Corpore Juris Canonici glossato, prout anno cl̄lxxi Basileæ, per Joann. Amorbachium, Petri, & Froben. impressum est, ad c. *Fundamenta*, de Electione & Electi pot. in vi, fol. 28. b. in notis marg. ita conceptis verbis legi: *PAPA NON EST HOMO.* similiterque in ipso Glossæ textu, præc. Clement. Papam esse hominem, palam negari; sed & ipsum Innocentium iii, sermone ii, de Consecratione Pontificis, de se profiteri, quod sit *ultra hominem*, ac *major homine*. Confer num. iix. Et sane eo ipso, quod supra Imperatorem se effert Pontifex, si veteris Ecclesiæ judicio standum, hominem se esse negat. En argumentum:

*Qui supra Imperatorem est, non est homo.*

*Pontifex supra Imperatorem est.*

*Ergo Pontifex non est homo.*

Minor tantum abest ut a Romana negetur Curia, aut vocetur in dubium, ut potius, secundum Innocentii iii pronunciatum, c. *Solita*, x. de Major. & obed. toties Papalis auctoritas Regiam superet, quoties Solare lumen Lunare, hoc est, ut Glossa computat, *Papalis dignitas quadragies septies sit major Regali dignitate.* Primæ propositionis veritas ex testimoniis, quæ subjuncturi sumus, manifestissime patebit. Tertulliani nempe verba

verba sunt, Apolog. cap. xxx: *Sciunt Imperatores, quis illis dederit imperium: sciunt, qua homines, quis & animam. Sentiant, eum Deum esse solum. In cuius solius potestate sunt: a quo sunt secundi; post quem primi: ante omnes & super omnes deos. quidniſ cum SUPER OMNES HOMINES, qui utique vivunt, & mortuis assistant. libroque ad Scapulam cap. ii: Colimus Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit: ut hominem a Deo secundum, & quidquid est, a Deo consequutum, & solo Deo minorem. Hoc & ipse volet. Sic enim OMNIBUS MAJOR EST, dum solo vero Deo minor est. Similiter Chrysoſtomus, homil. ii. ad populum Antiochenum, de ignominioſe tum habito Imperatore Theodoſio loquens, *ἐν ἑσῷ, αἰτ, ὁ ὑβριδεῖς, ὁμώτιμόν τινα ἔχων ἐπὶ τῆς γῆς. βασιλεὺς χάρις ἔστιν, κορυφὴ καὶ κεφαλὴ τῶν ἐπὶ τῆς γῆς ἀνθρώπων ἀπάντων. Laſus est, qui non habet parem ullum super terram. Rex enim est, summitas & caput omnium super terram hominum. Sed & ipse Pontifex Gregorius M. scribens ad Imperatorem Mauritium, lib. ii, epist. lxi, Potestas, inquit, super OMNES HOMINES Dominorum meorum pietati coelitus data est. Gemina apud Ambrosium Apolog. Dav. cap. iv. & x, Hieronymum epistola ad Rusticum, Cyrillum Alex. ad Theodoſium, legi possunt. In primis vero huc spectat locus Optati Milevitani, lib. iii de Schismate Donatistarum: *Cum super Imperatorem non sit nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem, dum se Donatus super Imperatorem extollit, jam, quasi HOMINUM EXCESSERAT METAS, ut se ut Deum, NON HOMINEM aſtimaret, non verendū eum, qui post Deum ab hominibus timebatur. Applica hæc ad Pontifices Hildebrandinos, speciatim ad insolentissimam illam Pii ii. vocem (apud Joh. Gobellinum in Pii huius commentariis lib. ii, pag. 38.) Si potuit Calistus superiorem ferre, non potest Pius mortalem hominem; & quam recte Papa homo esse negetur, quam recte ultra hominem, & major homine esse dicatur, si hodiernæ Romanæ Theologiæ principiis stare oporteat, in aprico erit. Quæ vero quam longe heic abeant a venerabilis Bernhaldi Theologia, tam solícite in memoriam revocanti Papæ Eugenio, Con-***

Confider. lib. II, cap. IV, IX, quod Homo fit, quod homo fuerit natus, homo nudus, & pauper, & miser, & miserabilis; homo natus ad laborem, non ad honorem; homo natus de muliere, & ob hoc cum reatu; brevi vivens tempore, ideoque cum metu; repletus multis miseriis, & propterea cum fletu. Sed ad superiora redeamus.

Eundem Angelis majorem esse & venerabiliorum, affirmant iidem.

Matth. 16, 19.

IV. Quod Porro ultra Angelorum quoque sortem in Romana Ecclesia Papæam dignitatem extendi, vere dixerimus, constat ex auctore sermonis ad Clerum in Concilio Rhemensis congregatum, qui inter Bernardi Sermones varios, col. 1755. legitur. Hujus enim de Pontifice loquentis diserta sunt verba: *Plus quam Moyses heic. Moysi commissa fuit una plebs Israelitica; isti autem universa Ecclesia. Et plus quam Angelus heic. Cui enim Angelorum dixit aliquando Deus: Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis? - Præter DEUM non est similis ei nec in cælo nec in terra. Quæ in Germanicum conversa sermonem sua fecit Georgius Landherrus, ordinis Prædicatorum Theologus, in libro Scharffes rundes Auge inscripto, Pragæque anno 1606 edito, lit. C. Constat idem ex Claudii Seiffelii libro adversus Waldenses fol. 36. & Augustini Triumphum Summa de Potestate Eccles. quæst. IX, art. IV; ubi Papam variis modis majorem Angelis esse docens, inter cetera, Papa, inquit, honor major quam Angelis exhibetur: quia in humana natura Deus magis quam in angelica natura representatur. item: Nulli angelo commissa est jurisdictio & cura totius orbis: Sed Papa totius mundi jurisdictio & cura est commissa. Quo spectat hoc etiam Antonini Argumentum, Summæ part. III, tit. XXII, cap. V, 4. quod Papa recipiat a fidelibus adorationes, prostrationes, & oscula pedum: quod non permiserit Angelus a Johanne Evangelista sibi fieri. Imo, quod unice ad explendum insatiabilem Pontificis ambitionem restare adhuc sua ætate, id est, circa seculi XII medium, ad tres Curiales scribebat, epistola CCXXX, pius ille Abbas Bernardus, ut nempe imperium in Angelos sibi arrogaret; *Olim quidem, ajens, eratis, con-**

Apoc. 22, 8. 9. Pontifex Imperium in Angelos sibi sumit.

era

tra Apostolum Petrum, dominantes in Clerum; imo & contra Coapostolum ejus Paulum, dominabimini fidei totius orbis: at nunc novum aliquid addidistis, usurpantes amplius & in ipsam religionem. Quid restat, nisi ut adjiciatis & ipsis ANGELIS SANCTIS DOMINARI? illud anno clo cccL praxi ipsa expressit Papa Clemens VI. Cum enim is Jubilæum, quod Bonifacius iix centesimo quoque anno peragendum sanxerat, ad quinquagesimum revocaret, dictoque tempore celebrari vellet, in edita tunc Bulla, Prorsus, aiebat, mandamus Angelis Paradisi, quod animam (hominis puta, qui Romam ad Jubilæum profectus peregre obierit) a Purgatorio penitus absolutam, in Paradisi gloriam introducant. Vide Balæum in vita ipsius. Eodem spectat illud Nicolai Egmundani, apud Balæum in vita Clementis iix: Papa habet imperium in Angelos & Dæmonas. Adde quæ ex Canonistarum Glossis & Decisionibus Rotæ observavit Mornayus in Mysterio Iniquitatis, anno clo ccc xvi. pag. m. 410. ubi inter cetera inde annotat, quod potestatem Pontifici tribuant in & supra Angelos bonos & malos; adeo ut ipsos Angelos excommunicare possit.

v. Quem incredibilem Papæ fastum adeo non improbat De Papali ista  
 Erasmus Roterodamus, ut scribere etiam ausus sit, epistola arrogancia ju-  
 qua suam in S. Marci Evangelium Paraphrasin Francisco 1. dicitum Era-  
 Galliarum Regi, nuncupat: Sunt qui Romano Pontifici tribuant & impium.  
 ditionem etiam apud inferos: sunt qui tribuant imperium in Ange-  
 los. Quam auctoritatem illi tantum abest ut invidemus, ut optemus etiam ampliorem.

vi. At quæ futura esset tandem amplior illa auctoritas, Pontifici optanda, insulse adulator, quam qua in Angelos imperium ei defertur? annon hanc oporteret esse ipsa divina auctoritate majorem? Id certe nemo negaverit cui quidem sanum est synciput. Cum enim citra controversiam Angelis non existat ulla creatura nobilior, in quam jus & potestatem tenere quis possit, profecto qui ampliorem Papæ auctoritatem optat, quam quæ ex imperio in Angelos nascitur, omnes

B

mnes

mnes suos nervos in eo contendit, ut is esse declaretur ὁ ἀνθρώπος τῆς ἀμαρτίας, ὁ ὑὸς τῆς ἀπωλείας, ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραίρόμενος ὅτι πᾶν τὸ λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα: ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τῆς θεῆς ὡς θεὸν καθίσαι, ἀποδεικνύοντα ἑαυτὸν ὅτι ἐστὶ θεός, homo ille peccati, filius ille perditionis, adversarius ille, & Qui SESE EXTOLLIT SUPER OMNEM QUI DICITUR DEVS, aut numen; adeo ut in templo Dei tamquam Deus sedeat, praeseferens, se esse Deum, II. Theff. II, 3. 4. Et sane hoc illud est saxum, quod magno molimine jamdudum volvit Pontifex, volverunt ejus mancipia, ut pro DEO ipse habeatur, imo sublimiori etiam collocetur loco. Exhorrescis pronunciata haec nostra, lector? Nolumus fidem nobis tribui ante, quam id quod diximus liquido ostensum fuerit.

Nicolaus I,  
Pontificem  
Deum esse do-  
cet, qui ab ho-  
minibus judi-  
cari nequeat.

VII. Incipiamus ab ingenua Papæ ipsius confessione. Nicolaus I, in scripta ad Imperatorem Græcum Michaelē proluxa epistola, sive libro potius, cujus initium: *Proposueramus quidem*; ubi pro summa Romani Præsulis auctoritate multa magno cum zelo disputasset, ita tandem concludit: *Quibus omnibus rite collectis, satis evidenter ostenditur, a seculari potestate nec ligari prorsus nec solvi posse Pontificem: quem constat, a pio Principe Constantino, quod longe superius memoravimus, DEUM appellatum; nec posse Deum ab hominibus judicari, manifestum est.* Quæ verba repetuntur in Decreto, c. *Satis evidenter*, dist. xcvi. Locus autem, ad quem Papa heic provocat, fere in principio memoratæ illius epistolæ habetur. Ubi postquam in Codice sacro Sacerdotes aliquando Deos, aliquando Angelos vocari, e testimoniis Ex. xxii, 9. 28. (quæ tamen de Judicibus secularibus ipse Cornelius a Lapide aliique Pontificii Interpretes exponunt) & Malach. II, 7. demonstrare lategerat, *Quid ergo mirum, subjungens, si illos Imperialis pietas honoret, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos aut Deos ipse etiam appellat Deus?* mox ita pergit: *Ecclesiastica quoque testatur historia, quia cum pia memoria Constantino Principi scripto oblata accusationes contra Episcopos fuissent, libellos*

libellos quidem accepit, & eosdem qui accusati fuerant Episcopos convocans, in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens: Vos dii estis a vero Deo constituti: ite, & inter vos causas vestras deponite; quia dignum non est, ut nos judicemus Deos.

ix. Nolumus disquirere nunc operosius, an sat bona fide Constantini M. verba ista vel retulerit Rufinus, e cujus Historiæ Ecclesiasticæ libro I. cap. II. petita sunt; vel proposito suo accommodaverit Papa Nicolaus. Sane quod ad prius attinet, notum est, quam exigua sit in talibus Rufini auctoritas: cui solemne fuit, supponere aliis quidquid videretur, eorumque dicta mutare ac interpolare pro lubitu. Consule, inter ceteros, Henricum Valesium, in Eusebianam suam editionem præfatum, & Johannem Dallæura de Dionysii Areopagitæ ac Ignatii suppositis, lib. II, cap. XL. Quod spectat ad posterius, non est sermo apud Rufinum de Pontifice, sed de *Episcopis*, qui ex omnibus vix locis convenissent. Quos si ab hominibus judicari non posse dixeris, ne quidem Romani Prætulis iudicio eos subesse, fateri oportebit (quod Theologiæ adversatur Papisticæ) nisi forte ad supra memoratum illud principium, quod Papa non sit homo, confugere heic placuerit. Deinde nec de Deo, in Singulari, ut vocant, numero, sed de iis, in Plurali, Constantinus loquutus esse dicitur quæ Rufinus memorat. Verum hæc sunt. Nobis sufficit in præsentia, Nicolao I. auctore Pontificem esse Deum, & talem quidem Deum, quem ab hominibus judicari non posse manifestum sit, hoc est, Deum *ἐν ἐν ῥῆματι, ἀλλ' ἐν πράγματι*, ut Chrysoctomi utar distinctione in I. Corinth. IX, 5. Nempe argumentum ipsius, si in justa proponatur forma, erit tale:

*Qui est Deus, illum ab hominibus judicari non posse, manifestum est.*

*Pontifex R. est Deus,*

*E. Pontificem R. ab hominibus judicari non posse, manifestum est.*

B 2

Ubi

Deumque ad-  
eo verum, non  
nuncupatire  
talem.

Ubi si in Majori propositione Deus notat λεγόμενον Θεόν, seu Deum *nuncupative* talem ( ut Gregorius M. loquitur homil. xv. in Ezechielem ) subsistere eam haud posse palam est, praesertim apud Romanæ Ecclesiæ asseclas. Quid enim? an manifestum sit, ab hominibus judicari non posse magistratus; quos Deos nuncupari, ex Pf. LXXXII, 6. aliisque Scripturæ locis constat? Certe in ipsum Imperatorem, Regesque & Principes, judicandi, imo de folio eos dejiciendi, potestatem sibi arrogare Pontificem, vel pueris notum est. Intelligi proinde oportet Deum proprie dictum, tum in Majore, tum ( nisi quaternionis vitio laborare debeat syllogismus ) etiam in propositione Minori. Et præterea inde res plana est, quod Dei nomen ita Pontifici præbet Nicolaus, ut Homini opponitur; quando *Deum*, cujusmodi Papa sit, ab *Hominibus*, ipsis etiam Imperatoribus, summoque adeo magistratu, judicari posse negat. Confer. num. III.

Martini s. ti-  
suli Papales.

ix. Nicolaitano testimonio Papale aliud non minus illustre jungimus. Nempe cum in habito anno elc cccc xxiii Senensi Concilio, quod Generale in Actis vocatur, inter alia placeret, ut Nuncius mitteretur Apostolicus ad Imperatorem Constantinopolitanum Manuelem Palæologum, & Patriarcham Josephum, periculum facturum, an ad unionem Ecclesiæ Romanæ reduci possent Græci, missus eo est *Reverendissimus & integerrimus vir, atque Clementissimus S. Theologia Professor, Magister Antonius Massanus*, cum Instructione, quæ sic incipit: *Sanctissimus & Beatissimus, qui habet Cœleste arbitrium, qui est Dominus in terris, successor Petri, Christus Domini, Dominus universi (imo Princeps hujus mundi, Joh. XII, 31. XIV, 30. XVI, II.) Regum Pater, Orbis lumen, Summus Pontifex Papa Martinus, divina providentia Papa quintus, mandat tibi Magistro Antonio Massano. Vide Tomum IX Conciliorum pag. 731. edit Paris. Regiæ.*

Ravallaci  
pronuncia-

x. Porro, qualem professionem de Pontificis deitate famosus ille Galliarum Regis Henrici IV. sicarius, Franciscus Ravail-

Ravaillacus, anno clb lxx ediderit, Isaaci Casauboni verbis docebimus, epistola, ad Frontonem Ducæum, lxx xxiv, scribentis: *A suprema auctoritatis Judicibus de causa suscepti parricidii interrogatus, quum more patrio in reorum sellula sederet, non per ambages aut ænigmata, sed liquido & diserte respondit: ideo se quod fecisset fecisse, quia Rex Protestantibus Germania Principibus opem ferre parans in causa Cliviensi, Pontifici Maximo rem faceret ingratham, ac proinde dignus esset qui periret. DEUM enim se in terris Romanum Pontificem agnoscere; cujus voluntati qui sese quovis pacto opponeret, eum se habere ἀποκατάστατον, & exitio devotum. Ipsissima, addit Casaubonus, feralis illius prodigii verba sunt: PAPA EST DEUS, ET DEUS EST PAPA.*

xI. Possemus implere paginas, si loca notare vellemus, quibus Canonistæ Theologique Romano - Catholici DEI, DOMINI, similesque appellationes Pontifici tribuunt. In porta urbis Italorum Tolentinæ hæc legitur inscriptio: *Paulo III. Opt. max. in terris Deo.* In Sixti IV, Romam primum ingressi, arcu triumphali tale fulsit distychon:

*Oraclo vocis mundi moderaris habenas,  
et merito in terris diceris esse DEUS.*

quemadmodum & S. Petrum, primum illum, ex Pontificiorum quidem sententia, Papam Romanum, Θεόν ἑπίγειον, *Deum terrestrem*, appellat Gregorius II, sub finem epistolæ ad Leonem Isaurum, apud Baronium, ad ann. lxx ccxxvi, 28. inque habita sub initium superioris seculi Synodo Lateranensi (quæ Romanæ Ecclesiæ œcumenica est, & cujus Acta, prout in Tomis Conciliorum leguntur, Leonis X auctoritate comprobata, ejusdemque jussu edita sunt) sess. IV, Christophorus Marcellus, Apostolicæ sedis Notarius, præsentem tunc Papam Julium II ita compellabat: *Tu alter Deus in terris!* & Antonius Puccius, Apostolicæ Camerae Clericus, ibidem sess. IX, Leoni X *divinam* tribuebat *majestatem*, perinde ut Angelus Politianus de Alexandro VI jactavit, oratione ad illum habita, quod per Papatum ad *divinitatem ipsam* fuerit evehctus;

tum: Papam  
Deum esse, &  
Deum Papam.

24.

25.  
21.

2

15

1

1

16.

3

3

3

Glossaque Juris Canonici, ad c. *Cum inter*, Extra. de Verb. sign. Pontificem *Dominum Deum nostrum* vocare non dubitat; *Credere*, scribens, *Dominum Deum nostrum Papam sic non potuisse statuere, prout statuit, hereticum censeretur*. Quoipso etiam elogio illum ornat, in suis Romæ excusis Epigrammatibus, Faustus Sabæus Brixianus, ad Paulum III. ita scribens:

*Quum triplici sanctum caput immortale corona  
ornarent Patres, optime Paule, tuum,  
sedibus æternis superi huc venerere, volentes  
NOSTRUM admirari TE DOMINUM AT QUE DEUM.  
Postquam mirati Te majestate verendum  
nomine, tum NIMEN non minus esse tuum,  
& Proceres auro insignes, sacrumque Senatum,  
que radiant stellis atria & alta suis;  
tunc dixere: Vale, o Cælum! Tenet incluta & ingens  
astra suosque Deos Roma, suumque JOVEM.*

Qua quidem in re Glossator & Poeta pudendam Martialis adulationem imitari voluisse videntur, libro V, epigr. IXX, 1. Domitiani Tyranni mandatum vocantis  
*edictum Domini Deique nostri.*

Cujusmodi  
titulum quod  
Domitianus  
Imper. sibi ar-  
rogaverit, ne  
quidem Gen-  
tiles idolola-  
træ æquo ani-  
mo ferre po-  
uerunt.

Quis vero non miretur & indignetur, impiam adeo assentationem ferri ab illo posse, qui non solum Christianus esse vult, sed Christianorum sanctissimus etiam, eorundemque caput, & Christiani gregis Pastor primarius; cum sane, quod eam Domitianus admiserit, homo infidelis, tam sinistre interpretentur Svetonius, Dio Cassius, Aurelius Victor, Eutropius, scriptores Ethnici? cumque ipse tandem Martialis & inusitatam Domitiani ambitionem, & absurdam suam assentationem, damnare non dubitaverit, quando in perpetuam Trajani Cæsaris laudem ita lusit, lib. X, epigr. LXXII:

*Frustra blanditia venitis ad me,  
attritis miserabiles labellis,  
Dicturus DOMINUM DEUM Q. non sum.  
Jam non est locus hac in urbe vobis.*

Ad

*Ad Parthos procul ite pileatos,  
 & turpes, humilesque, supplicesque  
 Pictorum sola bastate Regum.  
 Non est heic Dominus; sed Imperator,  
 sed justissimus omnium Senator:  
 per quem de Stygia domo reducta est  
 sicca rustica Veritas capillis.  
 Hoc sub Principe, si sapias, caveto  
 verbis, RŌMA, prioribus loquaris.*

Si Romæ, cum Ethnica adhuc esset, reducta eo per Principem Ethnicum veritas haud permisit, ut Imperatores Ethnicos *Dominos Deosque* salutare quis auderet amplius; si non fuit locus in urbe, quantumvis cetera maxime idololatræ, turpibus ejusmodi blanditiis; si ad Parthos illæ & Pictos sunt amandatæ: annon pudere debebat, obsecro, Romam Christianam, reductam ab Ethnica a tot jam seculis veritatem profligare rursus, inque exilium pellere, ut religioni sibi non ducat, uni immortalis Deo debitum honorem mortali homini tribuere?

xii. Ne vero nudis vocibus ludere, earumque ambiguitate abuti putes *Παπῶνας* Papalis architectos, divinos quando titulos Pontifici suo imponunt, præter ea quæ jam supra ad Nicolai I locum observavimus, notari & illa possunt e Romanis monumentis testimonia, quibus uni summo Deo debitas periphrases & descriptiones suo isti idolo impertiunt. In Synodo nimirum Lateranensi, sess. vi, Leo x Simoni Bagnio, Episcopo Modrusiensi, audit *Leo de tribu Juda, Radix David*, Apocal. v, 5. *Ne steveris, inquit, filia Sion, quia, ecce, venit Leo de tribu Juda, Radix David: ecce, suscitabit tibi Deus Salvatorem, qui salvabit te de manibus vastantium & populum Dei de manibus persequentium. Te, Leo beatissime, salvatorem expectavimus; te liberatorem venturum speravimus; ad te lati & hilares clamamus: Impugna impugnantes nos; apprehende scutum & gladium, & exsurge in adjutorium nostrum!* ibidemque paulo post

Pontifex *Leo*  
*de tribu Juda,*  
*Radix David,*  
*Sponsus Eccle-*  
*sia, Romani-*  
*stis dicitur.*

Psal. 118, 1. 2.

Cant. 1, 6.

Sponsus vero  
Ecclesie solus  
Deus est &  
Christus.

Exod. 3, 5.

Joh. 5, 5.

Joh. 3, 29.

cap. 1, 27.

post Ecclesia Pontificis Sponsa dicitur. Uti eadem, fest. ix, ab Antonio Puccio ita introducitur, ut *lugubri induta veste, tota squalore confecta, lacrymisque perfusa, ad sacratissimos Pontificis pedes sparsis crinibus provoluta, multo cum gemitu sic eundem compellet: Hecine ego, suavissime Sponse, unica illa dilecta tua atque formosa, qua jam clamare possum: Noli me considerare quia fusca sum? Vide præterea famosi illius nundinatoris Tezelii (sive potius Conradi Wimpinæ, qui theses illas sub Tezelii nomine edidit) disp. ii. adversus Lutherum, th. xiii, Tom. i. Jen. Lat. fol. 8. a. Bellarminum lib. ii. de Rom. Pontif. cap. xxxi, num. xiii. Bzovium in Rom. Pontifice cap. xv, Aug. Triumphum de Potest. Eccles. quæst. xix, artic. 1; ubi itidem appellatio hæc Papæ tribuitur. Imo ipsimet Pontifices, Gregorius x, c. *Ubi periculum*, de Electione, in vi, Johannes xxii, c. *Si fratrum*, Ne sed. vac. in Extrav. Bonifacius ix, c. *Quoniam*, de Immun. Eccl. in vi, Leo x, in Bulla concord. cum Franc. 1, Ecclesiam Sponsam suam vocant; quemadmodum Innocentius iii, serm. iii. in consecrat. Pontif. se illius Sponsum nuncupat. Quo ipso magnos se adulteros imprudenter faciunt sanctissimi illi Patres. Etenim quis Ecclesie Sponsus, Spiritu S. auctore? Utique Deus ter opt. maximus? Os. ii, 19. 20. Jer. ii, 2. utique CHRISTVS, humani generis Sospitator, Cant. iv, 8. seqq. v, 1. 2. Matth. ix, 15. Joh. iii, 29. Apoc. xxi, 2. xxii, 17. Ad cujusmodi testimonia provocans Ambrosius, lib. iii. de Fide, ad Gratianum, cap. v, *Non Moyses*, inquit, *Sponsus*. *Illi enim dicitur: Solve calceamentum pedum tuorum; ut Domino suo cedat. Non Jesus, Nave filius, Sponsus. Nam & ipse dicitur: Solve calceamentum pedum tuorum; ne ex similitudine nominis Sponsus ecclesie crederetur. Non alius Sponsus, sed solus CHRISTVS est Sponsus, de quo dixit Joannes: Qui habet Sponsam, Sponsus est. Illis igitur calceamentum solvitur: huic solvi non potest; sicut dixit Joannes: Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus. Solus ergo CHRISTVS est Sponsus. - Quis enim sibi alius Sponsam audeat Ecclesiam vindicare, quam a Libano unus & solus**

*solus vocavit, dicens: Ades huc a Libano, Sponsa; ades huc a Libano? aut de quo alio potuit Ecclesia dicere: Fauces ejus dulcedines; & totus desiderium? Gemina habet idem libro de Benedictio-  
nibus Patriarcharum cap. iv. Sed & Theophylactus in Jo-  
hann. iii, 29. Σμειώσασθαι, inquit, ὅτι εἰς ἄλλος ἐστὶ νυμφίος, εἰ μὴ  
μόνος ὁ χεῖρός, πάντες δὲ οἱ διδάσκοντες νυμφαγωγοὶ εἰσιν, ὥσπερ ἐν  
καὶ ὁ προδρομὸς. Nota, quod nullus alius est Sponsus, quam solus  
CHRISTUS: omnes autem docentes promibi sunt, sicut & precursor  
quoque. Inprimis vero huc pertinet Paulina illa, ii. Cor. xi, 2.  
Ἡμεοσάμην ὑμᾶς ἐνὶ ἀνδρὶ παρθένον ἀγνήν παραστήσασθαι τῷ χεῖρῳ.  
Aptavi vos, quos UNI viro ut Virginem puram sistam, nempe CHRIS-  
TO. Ad quem locum respiciens Augustinus in Psal. xix. ex-  
pos. ii. Quis est Sponsus, ait, nisi cui desponsata est illa Virgo ab  
Apostolo, cui timet caste castus Sponsa amicus, ne, sicut serpens Evam  
fessellit astutia sua, sic & hujus virginis sponsa CHRISTI sensus cor-  
rumpantur a castitate, qua est in CHRISTO? Confer Lutheri librum  
de Conciliis, Tom. vii. Jen. G. fol. 269. b. Si proinde Eccle-  
sia solius CHRISTI Sponsa est, qua fronte, obsecro, ejus se  
Sponsum gloriatur Pontifex? Annon pudendæ hujus poly-  
gamix merito pudere ipsum debebat? annon meminisse oportebat  
illum Servum Servorum pronuntiati istius Bernhardini: Absurdum est, ut Sponsa Regis sit Sponsa Servi? Verum ad alia  
properemus.*

Cant. 4, 8.

cap. 7, 16.

24.  
25.  
21.  
2.  
15.  
1.  
17.  
16.

xiii. Quemadmodum de Leone x. supra memoravimus, quod assentatoribus suis audiverit *Leo de tribu Juda, Radix David*, ex Apocal. v, 5. ita Leonis xi. in Papam coronati arcus triumphalis hanc exhibuit ex eodem Apocalypseos capite com. 9. petitam inscriptionem: *Dignus est Leo in virtute Agni accipere librum, & solvere septem signacula ejus*; teste in illius vita Jacobo Revio. Occurruntque & passim alibi apud Romanarum partium auctores testimonia, quibus ad Pontificem suum applicant, quæ de CHRISTO, unigenito unius Dei Filio, omnium consensu in sacro Codice a scriptoribus Θεοπνεύστοις annotata extant. Ita Cataldinus de bon Compagnie, libro

Papa fuit ille  
est, qui solvere  
potest 7. si-  
guacula libri  
Apocalyplici.

Loca Isa. 42, 1.

C

de

seqq. Ephes. 4.  
 9. Luc 2, 29-30.  
 de eodem a  
 curiæ Roma-  
 na parasitis  
 accipiuntur.

Æternitas &  
 Omnipoten-  
 tia Pontifici  
 tributa.

Math. 28, 18.

de Translatione Concilii Basileensis, usurpare de ipso non dubitat illa Isaïæ XLII, 1. seqq. *Ecce servus meus; suscipiam eum: electus meus; complacuit sibi in illo anima mea. Dedi Spiritum meum super eum: iudicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet; in veritate educet iudicium. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium.* Quem locum agere de CHRISTO, fallere nescius testis est Evangelista Matthæus cap. XII, 17. seqq. Franciscus Panigarula, Læctionum parte 1, lect. II, unum illum DOMINUM, de quo Eph. IV, 5. Apostolus, *Unus Dominus, inquit, una fides, unum Baptisma*, Rom. Pontificem esse somniat. Et Gregorius XIII, teste in vita ipsius Cicarella, has Simeonis de mundi Redemptore prolatas voces a Magistro Melitensi admisit: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace: quia viderunt oculi mei Salutare tuum.* Luc. II, 29. 30.

XIV. Illustrissima omnium divinæ majestatis idiomata Æternitatem esse & Omnipotentiam, nemo negabit temere. Jam Innocentius III, c. *Per venerabilem*, x. Qui filii sint legitimi, Pontifici impertire non dubitat isthæc de Salvatore nostro in Veteri pariter ac Novo Instrumento a Spiritu S. pronunciata: *Est Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec: constitutus a Deo Judex vivorum & mortuorum*, Psal. CX, 4. Act. X, 42. Quorum prius etiam Durandus ipsi tribuit lib. II. Divin. off. cap. 1, 17. Benedictus de Benedictis, libro de Antichristo, Prophetica illa: *Dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & lingvæ ipsi servient: potestas ejus potestas æterna, qua non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur*, Dan. VII, 14. de Papa usurpat. Puccius, Concilii Lateran. sess. IX, omnem huic uni in cælo & in terra traditam a Domino potestatem esse affirmat. Id quod sessione sequenti X Stephanus repetit Archiepiscopus Patracensis, postquam paulo ante plenitudinem potestatis (perinde ut Glossa Juris Canonici ad c. *Quanto*, X. de Transl. Ep.) illi dederat, eumque adhor-

adhortatus fuerat, ut arriperet *gladium divina potestatis*. Ubi observo, in Actis Concilii Lateranensis, prout in editione Parisiensi Tomo xxxiv. exhibentur, fol. 453. ad usurpata de Leone x. verba: *Tibi data est omnis potestas in cœlo & in terra*, in margine non citari locum, ubi totidem syllabis & apicibus de semetipso CHRISTVM iis usum fuisse legimus, Matth. xxix. sed Matth. xvi. ut pudisse appareat editorem immanis illius planeque enormis idololatriæ. Cujus vero non puduit D. Martam Neapolitanum, Advocatum Romanum, ut qui, Tract. de Jurisdictione part. 1, cap. xxii, diserte affirmat, eandem Pontifici potestatem esse, qua CHRISTVS polleat, qui de se professus fuerit, quod data ipsi sit omnis potestas in cœlo & in terra. Id ipsum confirmatur etiam Ceremoniarum libro 1, sect. vii. Porro & Aug. Triumphus, præfatus in Summani, *potestatem infinitam* Pontifici impertit; eo quod *magnus Dominus*, inquit, *& magna virtus ejus, & magnitudinis ejus non est finis*. Card. Jacobatius de Concil. lib. x, art. vii, 77. de eodem utitur verbis Pl. ix, 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*. Huc perinet famosa illa inscriptio, quam ex Benedicto de Benedictis Mornayus præfatione in *Mysterium Iniquitatis* repetit: *Paulov, Vice-Deo, Christiana Reipublica Monarcha invictissimo, & PONTIFICIÆ OMNIPOTENTIÆ Conservatori acerrimo*. Adde quæ in ipso illo libro suo idem auctor habet, ann. clō ccc xvi, pag. m. 410. seqq. quæque Molinæus in *Novitate Papismi* libro 1, cap. xiv, 18. Vöetius in *Desperata causa Papatus* libro 1, sect. iii, pag. 22. Gerhardus *Confess. Cathol.* libro ii, Append. articuli iii, sub initium.

xv. Et qui major vel signi possit potentia, quam si naturam rerum immutandi & ex nihilo aliquid producendi virtute quis polleat? Jam Glossa Juris Canonici ad c. *Quanto*, x, de *Transl. Episcopi*, ita paratragediat: *Papa naturam rerum immutat, substantialia unius rei applicando alii; & de nullo potest facere aliquid; & sententiam, que nulla est, facit aliquam. quia in his, que vult, ei est pro ratione voluntas; nec est qui ei dicat,*

C 2

Papa, si ipse ejusque mancipiis credimus, naturam rerum immutare potest, de nullo aliquid facere, nova fidei dogmata

condere, vota, juramenta, matrimonia, dissolvere, Reges & Imperatores folio deturbare.

*cat, cur ita facis? Quid magis proprium Deo, quam ad salutem necessaria fidei dogmata condere? Sed & hanc sibi potestatem arrogavit Leo X; ut qui in sua anno clo lo xx. contra Lutherum emissa Bulla excommunicatoria, num. xxvii, istam ex ipsius Resolutionibus super propositionibus Lipsiæ disputatis, concl. x, (vide Tom. i. Jen. Lat. fol. 192.) petiram assertionem: Certum est, in manu Ecclesiæ aut Papæ prorsus non esse, statuere articulos fidei; palam damnavit & proscripsit. Confirmat Leoninam hanc Theologiam Card. Baronius; quo auctore ex arbitrio pendet Romani Pontificis, fidei decreta sancire, & sancita mutare, statuere item, quid velit esse in universa Ecclesia sacrosanctum, & ab omnibus custodiri, ann. ccc lxxiii, 21. lo liii, 224. confirmat Abrah. Bzovius; cui Papa est fidei Catholica CONDITOR, & sacrorum dogmatum DEMIURGUS: cujus præstantia juxta & autoritas est BASIS dogmatum, præfat. & cap. iii, xxiii, libri de R. Pontifice; confirmant denique Panormitanus, in c. Cum Christus, de Hæret. num. ii, Petrus de Anchirano, ibid. Aug. Triumphus quæst. lxx, artic. i & ii, Philarchus de Offic. Sacerdot. Tom. i, lib. iii, cap. ii; quos si audimus, Pontifex potest novos facere articulos fidei, & novum Symbolum condere. Porro, cujus est, nuncupata Deo vota, imploratoque hujus nomine interposita juramenta & contracta matrimonia exsolvere ac irrita pronunciare, nisi unius, cui & cujus adorato numine facta ac inita sunt, Dei ter opt. maximi? Hæc tamen omnia quod suo lubitu ac arbitrato dissolvat quotidie & irrita esse jubeat Pontifex, nemo ignorat, nec inficias eunt Romano-Catholici. Denique annon Deus est, qui transfert Reges & constituit Reges? Dan. ii, 22. annon Dei filius, qui Prov. ix, 16. dicit: Per me Principes imperant, omnesque Judices terræ? qui Princeps Regum terræ, Apoc. i, 5. & cujus nomen, Rex Regum, ac Dominus dominantium? cap. xix, 16. Jam vero Papa Hadrianus iv, in epistola ad Episcopos Germaniæ, apud Aventinum Annal. vi, Per nos, ait, Imperator: quod habet, totum a nobis habet. - - Ecce, in potestate nostra*

stra est, ut demus imperium, cui volumus (Luc. IV, 6.) D. Mar-  
ta Neapolitanus, præfatus in tract. de Jurisdictione, Paulum  
v sic compellat: Tu es Vicarius Dei in terris, a quo emanat om-  
nis Jurisdictio; unicus in orbe Pontifex, Imperator, & Rex; omni-  
um Principum superior, rerumque & personarum supremus & Domi-  
nus. Antè illum Card. Bertrandus, de Orig. Jurisdictionis  
quæst. iv, 5. scripserat: Quemadmodum JESUS CHRISTUS, dum  
fuit in hoc mundo, & etiam ab æterno, naturalis Dominus fuit, &  
de jure naturali in Imperatores, & quoscunque alios, depositionis  
& damnationis sententias ferre potuisset, ita eadem ratione ejus  
Vicarius. Confer Augustinum Steuchum contra Vallam li-  
bro II, ubi Romanam sedem dominam regnorum vocat, & Re-  
ginam universalem (nempe secundum illud: καὶ θῆναι βασίλισσα,  
Sedeo Regina, Apocal. xix, 7.) Cum seculo XI Hildebrandus,  
sive Gregorius VII, ad summum dignitatis ac potentia fasti-  
gium Pontificiam sedem eveheret, decrevit inter cetera (ut  
ex dictatibus ejus constat) quod Papæ liceat Imperatores depo-  
nere, doctrinamque hanc suam in rem contulit, amoto, tali  
usus formula, Henrico IV: *Nomine Patris, Filii, & Spiritus S.,*  
*Henricum Regem, Henrici quondam Imperatoris filium, Imperatoria ad-*  
*ministratioe Regiaque de jure, & Christianos omnes, imperio subjectos,*  
*juramento illo absolvo, quo fidem veris Regibus præstare consueverunt.*  
Vide Platinam in vita ejus, Gregoriumq; ipsum libro IX, epist. VI.

xvi. Quantam sibi quamque immensam potentiam Pon-  
tifex arroget, & ab assentatoribus suis tribui sinat, plus satis  
patuit. Dispiciamus nunc etiam paucis de divina, quam in  
illo parasiti ejus hodie agnoscunt, scientia ac sapientia. Fal-  
li non posse Papam, quando de fidei controversiis ex cathedra  
determinat, vel de genuina Scripturarum sacrarum sen-  
tentia pronunciat, receptior Romanæ scholæ doctrina jam-  
dudum fuit. At nondum eousque prolapsa hæc erat impu-  
dentia, ut ad ipsius etiam FACTI, quas vocant, quæstiones  
illius ἀναμαρτησίαν extenderet. Quin potius suo adhuc tem-  
pore Card. Bellarminus, lib. IV de Pontifice cap. II. scribebat:

Pontificem R.  
ne quidem in  
facti quæstio-  
nibus errare  
& falli posse,  
hodierni Jesu-  
itæ docent.

Conveniunt omnes Catholici, posse Pontificem, etiam ut Pontificem, & cum suo cœtu Consiliariorum, vel cum generali Concilio, errare in controversiis facti particularibus, quæ ex informatione testimoniisque hominum præcipue pendent. Et generalem hanc regulam infra cap. xi applicans ad quæstionem: an literis Honorii Papæ Monothelitarum hæresis contineatur; prout iudicavit a tot Pontificibus confirmata Synodus vi universalis. Quamvis, ait, generale Concilium legitimum non possit errare, ut neque erravit hoc sextum, in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare potest in quæstionibus de facto. Eadem habet, de hoc ipso argumento agens, Card. Baronius ad ann. 16LXXXI. 30. Ceterum die xii Decembris anni 1661. Jesuitæ in Collegio Claromontano Parisiensi palam propugnarunt *Theses seu Assertiones Catholicas de Incarnatione, contra seculorum omnium ab Incarnato Verbo præcipuas hæreses*; quarum xix sic habet: *CHRISTUM nos ita caput agnoscimus, ut illius regimen, dum in cœlos abiit, primum Petro, tum deinde successoribus, commiserit, & EANDEM QUAM HABEBAT IPSE INFALLIBILITATEM concesserit, quoties ex Cathedra loquerentur.* xx. ita: *Datur ergo in E. R. Controversarum fidei Iudex infallibilis, etiam extra Concilium generale; tum in quæstionibus Juris, tum FACTI.* Unde post Inn. X & Alex. VII constitutiones *FIDE DIVINA CREDI potest, librorum, cui titulus, Augustinus Jansenii, esse hæreticum, & 5. propositiones ex eo decerpas esse Jansenii, & in sensu Jansenii damnatas.*

Novam hanc doctrinam Jesuiticam e Pontifice Deum, adeoque speciem idoli, facere, ipsimet Parochi & Theologi Parisienses agnoscunt ac demonstrant.

xvii. Oppositum vero mox est thesibus istis scriptum a Parochis & Theologis Parisiis, sub titulo: *Nova Hæresis Jesuitarum, defensa publice Parisiis in Collegio Claromontano Thesibus impressis 12. Decemb. 1661. denunciata universis Episcopis Gallie*; ubi de recenti hac doctrina Jesuitica tale ferunt iudicium: *Quicumque dicit, rem non revelatam a Deo, nec divino testimonio comprobata; qualis videlicet est: num propositiones quedam sint recentioris horum temporum auctoris? esse objectum fidei divina, quia Papa dicit; adeoque pro fidei sue fundamento substituit auctoritatem humanam, & verbum hominis, ille fidem exertit, vel ex Papa facit*

facit Deum, & ex verbo ejus verbum divinum ac sanctam Scripturam: id quod non hæresis tantum est; sed horrenda impietas, & species idololatria. Idololatria enim non in eo solum consistit, cum homini tribuitur nomen Dei, sed magis adhuc consistit in eo, quando qualitates Deo propriae attribuuntur homini, & ejusmodi exhibentur honores, qui ei soli competunt. Jam vero ista totius nostri spiritus atque luminis subjectio, quæ est inclusa in actu fidei, nihil aliud est, quam adoratio, quam exhibemus primæ Veritati, adeoque qui eam reddit voci hominis, quemcumque etiam is locum habeat in Ecclesia, seu, quicumque dicit, credere se fide divina, quod tamen propterea saltim credit, quia homo dixit, is hominem substituit in locum Dei, transfert in creaturam honorem non nisi soli Creatori debitum, & quantum in se est, nihil aliud facit ex Vicario Jesu Christi, quam speciem idoli.

XIIX. Ita nimirum, quod ex Papa suo Deum Romana curia faciat, ipsimet ingenue agnoscunt modestiores & candidiores Pontificii. Possemusque plura hujus commatis producere, ni brevitati nunc studere nos oporteret. Unum interim non possumus quin superiori illi adjiciamus testimonium, Eberhardi nempe Salisburgensis Archiepiscopi; cujus hæc, apud Aventinum Annal. vii, de Romanis Præsulibus verba sunt: *Flamines illi Babylonia soli regnare cupiunt, ferre parem non possunt: non desistent, donec omnia pedibus suis proculcarint, atque in templo Dei sedeant, extollanturque super omne id, quod colitur. Fames opum, sitis honorum, inexplebilis est. Quo plura avido concesseris, eo plura appetit. Porridge digitum, & manum concupiscet. Licentia omnes sumus deteriores. Qui servus servorum est, Dominus dominorum, perinde ac si Deus foret, esse cupit. Sacros cætus, atque consilia fratrum, imo dominorum suorum, aspernatur. Timet, ne eorum, quæ adversus leges indies magis atque magis gerit, rationem reddere cogatur. Ingentia loquitur, quasi vero Deus sit. Nova consilia sub pectore volutat, ut proprium sibi constituat Imperium. Leges commutat, suas sancit, contaminat, diripit, spoliat, fraudat, occidit, perditus homo ille, quem Antichri-*

Eberhardi Salisburg. de affectata Pontificis Deitate testimonium.

*ticristum vocare solent, in cuius fronte blasphemiae nomen scriptum est, DEUS SUM, errare non possum. In templo Dei sedet, longe lateque dominatur.*

Adorationis  
cultus Papæ in  
Romana Ec-  
clesia defer-  
tur.

XIX. Tanta sunt, quæ de affectata Romani Pontificis omnem humanam sortem supergressa maiestate diximus, ut vix quidquam superaddi iis posse videatur, etiamsi tota divinitatis plenitudo exhauriri, inque illum conferri debeat. De cultu interim Adorationis, quem magno inprimis zelo Cælesti Numen uni sibi vendicat, nondum aliquid attigimus. Sed tamen & hunc soli Deo debitum honorem Papæ a suis *ἀνδοπαρόδοις* sine ulla hæsitacione deferri videas. Balthasar videlicet del Rio & Anton. Puccius in habitis sess. vii ac ix Concilii Lateran. orationibus, verba ad ipsum applicant de CHRISTO loquentis Psalmistæ, eaque in Papa debuisse rursus impleri ajunt: *Dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent. - Et adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes gentes servient ei; Psal. LXXII, 8. 9. 11. Paulus Æmilius, de gestis Francorum libro VII, Siculorum Legatos, coram Pontifice procidentes, has tertia vice repetitas pronunciaisse voces testatur: Qui tollis peccata mundi, miserere nostri! Infaustus ille Poëta Sabæus, ex quo jam supra quædam produximus, parodia abusus Psalmi xxxi, Papam Julium III sic adoravit:*

Joh. 1, 29.  
Sabæi parodia  
Psalmi 31. ido-  
lolatrica.

*In Te speravi: fac, ne confundar in ævum,  
JULI, & egestatis pondere me exonera!  
Purge aurem, accelera, meque eripe ab hoste sequaci:  
Libera ab arumnis, retibus, insidiis.  
Esto & apud Temet Dominum mihi, maxime JULI,  
confugiique domus, presidiumque meum.  
Tuque mea vires, portus, spes una salusque:  
dulce tuum ob nomen NUMEN & esto meum.  
Inque tuas commendo manus, JULI optime Princeps,  
spiritum, & hos canos, plectra, lyram, calamus.*

Gre-

Gregorius xiii venerationem a Legatis Regulorum Japoniæ a Jesuitis subornatis admisit, sub hac formula: *ADORANDO & Cæli Regis locum in terris obtinenti magno & sanctissimo P P.* teste, post alios, Johanne Læto Compendii Histor. cap. xxxv, sect. ii, artic. i.

xx. Et quid sibi vult, sodes, veneratio, qua noviter a se electum Pontificem Cardinales prosequuntur: dum videlicet manibus suis super altare collocatum ipsum suppliciter in genua procumbentes adorant? An cultum hunc mere civilem esse dices? At quem unquam Regem vel Principem secularem super altare elatum novimus, honor quando ei, etiam summus, a civibus deferendus? Ne impii quidem illi Imperatores Ethnici, Caligula & Domitianus, quos cetera uni Deo debitum cultum affectare adeo non puduit, ut templa etiam & aras sibi exstrui, victimasque cædi poscerent, eo progressi sunt arrogantia, ut supra altare collocari, eoque ritu adorari voluerint. Romanenses interim hæc Pontificem suum veneratione afficiunt, ut ne ista quidem ratione CHRISTO minor sit, quem in collocata super altari hostia Eucharistica adorare gestiunt. Quo spectant illa scriptoris cujusdam Pontificii, apud Curcellæum Institut. lib. vii, cap. xix, 19. *Exprobrant nobis, in ordinatione Papæ ipsum supra altare collocari, ut instar CHRISTI adoretur. Sed collocatur supra altare, ut inde discat, se debere esse simul & Sacerdotem & victimam, & seipsum pro suo grege ad exemplum CHRISTI sacrificare; & colitur supra altare tanquam hostia, quæ pro nobis se tenetur immolare: quemadmodum Sancti in Paradiso adorant Agnum occisum ab origine mundi.* Apoc. 5, 24. sq.

Cum quibus confer, quod in Ceremoniali Romano, lib. i, sect. i, cap. iii, Pontificem eligentes Cardinales dicuntur esse *Collegium XXIV, Senatorum ex Presbyteris & Diaconibus Romane urbis, instar XXIV. Seniorum, quos Agnus Dei, CHRISTVS Salvator, in Apocalypsi Joannis altantes habere perhibetur.*

xxi. Nec desunt sane in ipsa Romana Ecclesia, qui cultu patriæ, citra controversiam vere divino, Pontificem adora-

D

Latria an Du-  
lia Papam co-  
lere conveni-  
ri

at, inter Pontificios disputatur.

ri posse, palam asseverare audent. Legatur Caramuel de Hierarchia Eccles. lib. I, disp. LX, 680. Diana de Adoratione S. Pontificis resol. XI. Quamquam alii *θελαίας* cultu contentum ipsum esse jubeant, sed qui Angelicum tamen honorem excedat, ut Aug. Triumphus, loco supra num. IV expresso. Tannerus Tomo III Theologiæ Scholast. disp. V, quæst. II, dubio II, 61. eodem cultu, quo CHRISTVS ut homo colitur, Papam adorandum esse docet. Verum hæc disputationes ejusdem census esse videntur cum illa rusticorum disceptatione, qui, ubi de barba Cæsaris, alba an nigra foret, acriter diu contendissent, postea imberbem ipsum esse comperiebant.

Sublimiori quam Deus ipse loco Pontifex ab affentatoribus suis ponitur.

XXII. Ostensum est hucusque plus satis, nomina, attributa, *ἀξιώματα*, periphrases, operationes, cultumque summi Dei, in Romana Ecclesia Papæ tribui. Superest, ut porro demonstremus, ne quidem heic sisti, nec eo contentum esse Pontificem, *ut in templo Dei tamquam Deus sedeat, præ se ferens, se esse Deum; sed efferre etiam se illum SUPRA omnem, qui dicitur Deus; plane ut II Thes. II, 4. Apostolus prænunciavit. Lapidem loqui forte videbor, id ubi ajo. Sed quærere libet, si cui Papæ præstita officia & obsequia tanti sint, ut propterea Principes ipsius CHRISTI Θεανθρωπῶν perduelles felicitate ac victorijs potiri, nec gradu suo excidere, contra vero timore Dei insignes, si jura, quæ sibi Pontifex arrogat, imminutum eant, nec ipsi, quæ postulet, omnia ultro concedant, horribiliter puniri statuatur, nihil obstante vel impietate illorum, vel horum pietate; quæro, inquam, annon qui sic statuit, eó ipso Papam extollat super omnem qui dicitur Deus? Jam vide, obsecro. Theodoricus Gothorum Rex, Princeps erat, ceu constat, Arianae perfidiæ addictissimus. Nihil tamen fecius, verba de ipso faciens Card. Baronius, ann. LVII, I. Evidenter, ait, manu quisque tangere poterit, qua & tu ipse probe conficis, lector, cuncta bene cessisse Theodorico, dum, licet Arianus, nihil voluit imminutum jurium Romani Pontificis. Quemadmodum & in Chronologia sua, ad ann. LVXXIV, Card. scribit Bel-*

larminus: *Theodoricus Rex, Arianus, sed alioqui prudens, & Ecclesia Romana & summi Pontificis multum honoris deferens, & ideo feliciter regnans.* Similiter, ubi ad ann. ccccxlviij, 18. Reges Hispaniarum Arianos Pontificis se voluntati accommodasse, dixisset Baronius, subjungit mox: *Unde & fortasse accidit, ut Deus eisdem Regibus dederit & stabilire regnum, & ad multa secula propagare.* Nullus enim umquam absque amplissima remuneratione persolutum inveniet quidquid aliquando impensum est honoris & reverentia Apostolica sedi. Contra, quando Theodosius Junior, ipsomet fatente Baronio, ann. ccccl, ii. Imperator adeo bonus & pius, ut, *eximio semper refulgens religionis exemplo, & vita moribus integerrimis pollens, superiores omnes Christianos Principes videri potuerit superasse;* in procuranda *ἐνταξία* Concilii Oecumenici plus juris usurparet quam Politico magistratui Hildebrandina doctrina attribuit, si Cardinali credimus, ad ann. ccccxlx, 27. *Deo vindice, ubi talem sibi Theodosius Pontificiam auctoritatem arripuit, imperio privatur, anno sequente ex hac vita sublatus.* Sic ergo, secundum Baronii Theologiam, majoris res periculi est, Papam offendere, quam CHRISTVM Deum inficiari, & atrocius crimen, Romano Pontifici obsequium, quam totius orbis Sospitatori divinum cultum negare!

xxiii. Et notari omnino meretur, quemadmodum Romanis olim Gentilibus solemne erat, quidquid humano generi accidisset adversi, speciatim, si terræ motu urbes concuterentur, si provincias vastarent barbari, id omne Deorum suorum contemptui tribuere (vide testimonia hanc in rem plurima in opere nostro de Calumniis Paganorum libro iii, cap. xv.) sic pari ratione Baronium hæc & similia incommoda ex insuper habita auctoritate Papalij accessere. Ita cum de Dardania terræ motu dire exagitata Marcellini verba recitasset, ann. lxxix, 15. *Talia, subjungit mox, plane pati inprimis Dardani meruerunt, qui toties a Gelasio Papa & Hormisda moniti, in communiōne tamen Apostolica sedis contineri minime valuerunt. Fit divino iudicio instabilibus terra mobilis, meritoque deorsum debi-*

D 2

scitur

Baronius mala omnia & calamitates contemptui dignitatis Papalis impunit.

scitur iis, qui super firmam tutamque petram consistere nescierunt. In causas inquirens Cardinalis, cur multæ sub Justiniano Romani imperii provinciæ a barbaris vastatæ fuerint aut deletæ; Ad illam, inquit, te in his considerationem rursus provoco atque revoco, quam prospere, quamque feliciter cesserint res bellicæ Justiniano Imp. tam in Perside, quam in Africa, antequam in Siverium Romanum Pontificem fuerint violentæ manus injectæ; postea vero conversa alea, quam exstiterint luctuose, ann. lxxl, 43. Quod Galliam & Britanniam Septemtrionales olim populi invaserint, variisque cladibus affecerint, inde factum Baronius judicat, quia vel cum Papa non communicarunt, vel nescio quid aliud simile in ipsum admiserunt. Nempe non legerat is forsan scripta Salviani Massiliensis, in quibus, causas calamitatum ejus ætatis exponens, ita exaggerat vitia Christianorum, & **MAXIME CLERICORUM**, sui temporis, ut nimius videri posset, nisi ex vero Zelo gloriæ Dei & salutis animarum oratio ejus proficisceretur, dicente Baronii Collega Bellarmino, libro de Scriptoribus Eccles. ann. cccclx. non legerat quæ edidit Gildas Sapiens de excidio Britannia, præsertim ubi in Ecclesiasticum invehitur ordinem, Tomo v Bibliothecæ Patrum, pag. m. 361. & 407. edit. Paris. quorum opusculorum mentionem faciens Bellarminus ann. ccccxcv, *Propter peccata populi*, ait, & **MAXIME PROPTER PECCATA CLERI**, iratus Deus immittit flagella hujusmodi. Unde constat, nihil in mentem venisse antiquis illis auctoribus de immissa cœlitus pœna Gallis & Britannis ob neglectum Romani Pontificis cultum; sed potius in Clerum divini cultus negligentem calamitatum istarum causam ipsos transtulisse. Et certe, si ita in omnibus, quæ orbem vexarunt, angustiis ad Romani Episcopi non satis reverenter habitam existimationem respicere voluissent veteres, quid non dicturus fuisset ipse Papa Gregorius M. quando, eodem illo tempore, quo inprimis Romani turbabatur Imperii tranquillitas, suæ aliorumque Antistitum auctoritati a Johanne Jejunatore, Patriarcha Constantinopolitano, Oecumenici Episcopi

pi

pi titulum affectante, insidias strui animadvertibat? Quam vero contraria omnia ipsius tionunt verba, quibus ad Mauritium utitur Augustum, epistola xxxii libri iv: *Vir sanctissimus, Consacerdos meus Johannes, vocari Universalis Episcopus conatur. O tempora! o mores! Ecce, cuncta in Europa partibus Barbarorum juri sunt tradita; destructæ urbes, eversa castra, depopulata provincia; nullus terram cultor inhabitat; seviunt & dominantur quotidie in necem fidelium cultores idolorum: & tamen SACERDOTES, QUI IN PAVIMENTO ET CINERE FLENTES FACERE DEBUERUNT, VANITATIS SIBI NOMINA EXPETUNT, ET NOVIS AC PROFANIS VOCABULIS GLORIANTUR.* Quid hoc aliud est, obsecro, quam provocatæ iræ & vindictæ divinæ causam in ipsorum quoque Sacerdotum ambitionem ac fastum rejicere? At Annalistam totum in eo esse, ut *Divinæ providentiæ consilia in bonis distribuendis & malis insigendis ad solius Papatus rationes astringat*, jam olim observavit ac monuit nominatissimus ille Paulus Sarpus Venetus, celeberrimæ Tridentini Concilii Historiæ auctor, in epistola ad H. Casaubonum, Exercitationes suas anti-Baronianas tunc parturientem, quam, uti & Casauboni anno dclxxii, Kal. Jul. datas responsorias, manu exaratas in Bibliotheca nostra custodimus. Sed revertamur ad propositum.

xxiv. Quod majorem sibi honorem, quam Deus ipse, deferri velit Papa, perspicere etiam licet amplius ex ritibus, tum aliis, tum præcipue, quando solemnî pompa in Pontificalibus equitat, Romæ observari solitis; ubi scilicet multo majorem illi reverentiam quam hostiæ Eucharisticæ, quæ tamen Deus Papistis est, exhiberi novimus. Vide Ceremoniale Romanum lib. i, sect. xi, cap. i, sect. ii, cap. iii, lib. ii, sect. ii, cap. xiv, lib. iii, cap. ii.

xxv. Scripturam sacræ supremæ esse & prorsus divinæ auctoritatis, apud eos qui Christiani sunt, aut saltem audire gestiunt, extra controversiam est positum; quippe *cujus auctoritas, non mendaculus Poëta, non Rhetor garrulus, non Sophista captiosus,*

Majorem Pontifici honorem quam Hostiæ Eucharisticæ, utut Deum hanc esse credant, in Romana Ecclesia deferunt.

Papa major quam Scripturæ Sacræ virorumque

θεοπνεύτων

apud Pontificios auctoritas.

*prius, non Philosophus gloriosus, non, qui possunt ac solent errare, hominum alius; non, quorum, utlibet magna, precaria tamen certisque finibus comprehensa scientia, ullus Angelorum; sed ipsemet Deus, aeterna, infallibilis, infinita bonitas & sapientia; ut verba habent Martini Delrionis, proloquiorum in Pharum sapientiae cap. i. Quibus conformiter Alfonso Tostatus, praefatione in Matthaeum quaest. v, Magna, inquit, imo maxima omnium auctoritatum, quae sub caelo esse potest, est auctoritas sacrae Scripturae & in Matthaei iv, quaest. xxxix: Nulla est major auctoritas sub Deo, quam sacra Scriptura. Imo eandem plane Dei Scripturaeque sacrae auctoritatem esse, ostendit, inter ceteros, Dn. D. Johannes Musæus introduct. in Theologiam parte ii, cap. iii. Quae cum ita sint, annon iterum Papa jure dici potest ὑπεραρόμεν & esse ὅτι πᾶν τὸ λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα, ii. Thess ii, 4. quando de ipso in Romana docetur Ecclesia, quod possit dictis Apostolicis derogare; statuere super Epistolas Pauli; dispensare contra Apostolum, tamquam superior, & contra Evangelium; item contra Vetus Testamentum, eo quod major sit omnibus ejus auctoribus? Cujusmodi pronunciata ex Glossa Juris Canonici & Canonistis collegerunt, tum alii, tum Mornayus in Mystero Iniquitatis ad ann. clc ccc xxvii, & Gerhardus Confess. Cathol. libro ii, Append. artic. iii, 6. 19. Quo etiam spectat, quod famosus ille apostata Bartholdus Nihusius, ubi de Pontificis auctoritate, more suo, inepta multa & tali nugatore digna eruçtasset; Quid fodes, subjicit, ad haec tuus CODEX PICTUS? Scripturam scilicet sacram innuens; quae eodem quoque loco nihil ipsi est pernitus nisi mortua & suspecta litera in libro, eaque condita a meris hominibus, & partim aperte, ut erat David, partim forsitan etiam occulte facinorosis. Vide Calixti Digressionem de Arte Nova Nihusiana num. xix. Adde, quod P. Fabricius Romae apud S. Andream anno clc lxxxiii, die iii. Augusti, impias has voces palam effutiisse memoretur: Heretici semper haeretica in nos urgent Biblia. Nos Biblia habemus Pontificem Romanum: quem sequentes, errare & decipi non possumus. Papa enim seipsum interpretat-*

pretari potest, Biblia autem nequaquam; ideo tutius illius decretis, quam hujus obscuritatibus confidere possumus.

XXVI. Plusquam divinam insuper potentiam Papæ a suis tribui, inde constat, quod docent, posse ipsum *supra jus dispensare, & de Justitia facere injustitiam: posse contra Jus naturale ac divinum absolute, & tamen juste, judicare.* Vide Gl. ad c. *Quanto*, Extra, de Transl. Episcopi, & Mornayum supra laudato loco. Talia enim, utpote se ipsa evertentia, Deique naturæ adversa, non esse divinæ potestatis objecta, plus satis notum est.

Plusquam divina potentia Pontifici a suis tribuitur.

XXVII. Sed & notari meretur, quod in suo Examine Concilii Tridentini, libro v, 15. Innocentius annotavit Gentiletus, celeberrimi nominis Jctus Delphinensis, scriptorque, habitæ illi Congregationi *σύνχερον*, Episcopum videlicet quendam in cœtu isto, *sibi non probari, Pontificem max. PATREM SANCTISSIMUM* in superlativo gradu appellari, cum in positivo tantum gradu Deus ipse PATER SANCTUS a Scriptura nuncupetur, indicium fecisse. Qua de re, ait, certior factus Pontifex, Legatis mandavit, ut temerarium illum obtrectatorem, adeo perperam de Sanctitate sua loquentum, corripere, & ad se ducendum curarent. Cui jussui Legati confestim paruerunt. Ubi primum autem Romam appulisset, criminis reus peractus & judicatus, pœna nomine Episcopatu suo motus est. Nempe crimen erat atrox, ferre non posse, ut major Papæ quam Deo tribuatur sanctitas, utque, cum CHRISTVS, cœli terræque conditorem compellans, dixerit, *Pater sancte*, Joh. xvii, ii. Pontifex aliter compelli nolit quam, *Pater sanctissime, & Tua Sanctitas* (Abstractum pro Concreto positum, Latina pariter aliisque linguis superlativum indicare constat, imo plusquam superlativum, ut quando, v. c. scelus hominis pro homine scelestissimo & enormiter scelesto dicimus.) Notum est, Italis semper in ore esse, etiam dimidiata adhuc verba tentantibus, suum illud, *Santissimo Padre*, ut cui ab ipsis incunabilis assuescunt: cum Dei usurpantes nomen (quod & ipsum sat illis frequens, sæpe etiam ubi minime decebat) *O Dio santo!* exclament.

Deus, Pater sanctus Christo, Pontifex, Pater sanctissimus Romanus.

Tituli prima-  
riam Papæ  
Deitatem  
præbentes.

Antichristus  
Romanus  
jam a Bern-  
hardo nota-  
tus.

2. Thesl. 2, 3, 8.

Card. Pam-  
philiii elogi-  
um idolola-  
tricum.

XXIIX. Quid igitur mirum, Papam plane SUPREMUM in terris Numen, audire Stapletono, præfat. operis de Principiis doctrinalibus; SUPREMUM in terris Deum, Deum Deorum, Schioppio, Thavmatologiæ cap. xvi, & Classici Belli sacri cap. iv, domus, quæ columna & firmamentum est veritatis, SUPREMUM Patrem familias, Bzovio in R. Pontifice cap. ii; PRIMARIUM Vineæ Dominum Baronio ad ann. lo cccxlv, 48. quinque Cæli & terra obtinet PRINCIPATUM, Petro Damiani lib. i, epist. xx? Mittimus familia dudum ab aliis observata & demonstrata. Sic M. i. Bedæus de la Gormandiere, Andinus, Parlamenti Parisiensis Advocatus, in suo anno clo lxxii edito Jure Regum, capite ix, ostendit, Cardinalem Bellarminum, & alios Jesuitas, Pontificem extollere supra id quod dicitur Deus, in spiritualibus; & capite ix, Papam, se supra Reges efferentem, eo modo quem vult Cardinalis Bellarminus, efferre se supra id quod dicitur Deus, in temporalibus; provocatque heic ad S. Bernhardsi judicium, ferm. xxxiii in Canticum, ubi de pompa & fastu Romanæ curiæ agit, palam scribentis: Ipse est Antichristus, qui se non solum diem, sed & meridiem mentietur, & EXTOLLETUR SVPRA ID QUOD DICITUR AVT QUOD COLITUR DEUS. Quem Dominus JESVS interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui, utpote verus & æternus meridies, Sponsus & Advocatus Ecclesiæ: qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen. Eodem spectat quod in ipsa Ecclesia Romana Franc. Zabarella scripsit, libro de Schismate, qui voluerunt placere Pontificibus, per multa retro tempora persuasisse iis, quod omnia possent, & sic, quod facerent quicquid liberet, etiam illicita, & sic PLUS QUAM DEUS.

XXIX. Coronidis loco subjungemus heic impium illud & putidum Jo. Bapt. Catumfyriti, Italo-Græci, quando Innocentius x, ante dictus Card. Joh. Bapt. Pamphilius, in Papam est electus, Romæ vulgatum elogium, quo Papa Filio Dei manifesto præfertur. Eminentissime & Reverendissime Domine Cardinalis Pamphili. i. Philius Dei (superlativus Amor Patris, quia

quia  $\Phi\iota\lambda\tau\alpha\tau\circ$ , ideo *Pbilus* dictus) ex aeterna ejus Charitate, qua se Deo Patri obtulit, in amantissimum Intercessorem ac Mediatorem Dei ac hominum, ab instanti conceptione in utero B. Mariae Virginis factus fuit Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, ac primus Pontifex Optimus Maximus. 2. Sed Filius fuit *Pbilus*, non fuit *Pamphilius*. 3. Fuit Intercessor Dei & Hominum. 4. Non fuit Universalis Mediator Angelorum & Hominum, seu *Pamphilius*. 5. Si ex nominis analogico aeternoque anagrammate praesagire licet mysterium aliquod in tempore, Tu ab aeterno praedestinatus es esse *Pamphilus* in terris, ac dici *Pamphilus*, amulus Filii Dei in caelis. 6. *Pamphilus* ergo eris; universalis nimirum reconciliator Angelorum & Hominum, in terris hostiliter pugnantium Regum & populorum. 7. Quod praestabis non nisi electus in Pontificem Opt. Max. 8. In cujus faustissimum augurium Evangelus ego felixque nuncius ter sanctos pedes Eminentiae vestrae ex nunc deosculor. 9. Quod etiam Grace scripsi decem abhinc annis in Graca nostra Academia Basiliana, in Columbae vestrae stemmata, τὰ τῆς εἰρήνης σύμβολα. Rex Pacificus eris & clementissimus. Videatur Laurentius Banck Romae Triumphalis pag. 233.

xxx. I nunc, & veri metas excedere dic Octavum Meninum, Jctum Foro Juliensem, Praefectumque Cenitensem, in Ode sua, ubi hoc modo Romanae curiae parasitos Pontificem compellantes introducit:

Menini in Adulatores Pontificis Ode;

Pater beate, digna sat merentibus  
 quænam rependes præmia?  
 Pro Te pudoris cuncta fræna rupimus,  
 &, fronte perfricta, nihil  
 intactum, inausum liquimus, mendacio  
 ut turpi pulsa Veritas  
 Sinceritasque amabilis, nivea & fides  
 cogatur hinc faceffere.  
 Nos, nos locamus Te supremo vertice,  
 Cælumque supra attolimus:

E

Nos

Nos Te vocamus alterum Jovem: tuis  
 claudi, patere nutibus  
 sedes Olympi dicimus, & horrida  
 nigrantis Orci limina.  
 Armamus ipsi ultricibus flammis  
 Tuam hanc fulgurantem dexteram;  
 Nec jam veremur astra cœlo dicere  
 lapsura, ni Tu fulcias.  
 Jam regna cuncta, quæ cadens Sol aspicit  
 surgensque, Tibi ascribimus;  
 et quod coronis fulgeant nitentibus  
 Reges, Ducesque, & ipsius  
 quod sceptrâ gestent Imperi, totum hoc tui  
 Juramus esse muneris.  
 Jam nostra cunctos limites Modestîæ  
 transcendit Impudentia,  
 dum mille lingua blandienti nomina  
 Tibi superba affingimus.  
 Hinc turba honores credula immensos Tibi  
 largitur; hinc vulgus stupet.  
 Quod si quis exstet altiori spiritu,  
 cui libera indignatio  
 bilem tumentem suscitet, fallacias  
 qui tentet has refellere,  
 plectroque fido veriora personet,  
 quam gratiora Curîæ,  
 in hunc venenis viperinis illita  
 torquemus omnes spicula.  
 Quid jam, beate Pater, quid vis amplius?  
 Tu numen, & præsens Deus,  
 Tu certa spes mortalium vocabere,  
 Salusque mundi publica.  
 Ergo tiaras, infulas, ostrum, manu  
 potenti nobis divide.

Nam

Nam magna quanquam pro te adorti gessimus,  
 majora adhuc conabimur,  
 IPSVM DETRAHEMVS E SOLIO JOVEM,  
 UT IPSE SOLVS IMPERES.

xxx. Atque ita plus satis patet, opinor, quis ille sit, de quo Apostolus vaticinatus est II. Thes. II, 4. Restat, ut paucis expendamus, quo pacto impiam hanc *ἀνδροπολατρείαν* excusare, ejusque fœditatem tegere conentur Romanenses, ad levandam culpam heic nimio plus sæpefacundi.

xxxii. Primum igitur ei velamentum inde quærunt, quod Oratoris & Panegyricis hyperbolis, phrasibusque tropicis, & Poëticam licentiam olentibus, utantur, qui de Pontifice Romano ita loquantur & scribant magnifice: qualia proinde secundum propriarum locutionum rigorem accipi non debeant exponi.

xxxiii. Resp. Hoc ipsum illud est tegumentum, quo Gentiles olim idololatriæ suæ mythicæ turpitudinem velare satagebant. Cum enim Poëticæ istius Theologiæ absurdissima iis monstra Christiani objicerent, *Non quod scriptum est*, ajebant, *atque in prima est positum verborum fronte, id significatur & dicitur; sed allegoricis sensibus & subditivis intelliguntur omnia illa secretis*; apud Arnobium adversus Gentes libro V. Sed quid ad hæc vetustus ille scriptor Ecclesiasticus? *Argutia sunt*, inquit, *ut apparet, atque acumina hæc omnia, quibus fulcire solemne est malas in judiciis causas: quinimo, ut verius dicam, Sophisticarum disputationum colores, quibus non verum, sed imago & species veri semper atque umbra conquiritur. Nam quoniam rectas accipere lectiones pudet, dedecet, decursum est in has partes, ut alia subjiceretur res alii, & in speciem decoris, turpitudinis interpretatio cogere- tur. & postea, circa libri finem: Quia talium scriptorum historiarumque vos pudet, nec aboleri videtis posse ea, qua sunt fœde semel in commentariis relata, nitimini cobonestare res turpes, atque omnibus argutiarum modis pro rebus subditis verborum invertitis corumpitisque naturas: atque, ut olim accidere male sanis assolet, quo-*

E 2

rum

Quo pacto  
 cultum Papæ  
 idololatri-  
 cum palliare  
 conentur  
 Pontificis

Excusatio r.  
 quod modis  
 loquendi hy-  
 perbolicis &  
 impropriis u-  
 tantur Papæ-  
 colæ.

Ejusdem illa  
 indolis est  
 cum ea, qua  
 olim Ethnici  
 idololatriæ  
 suæ mythicæ  
 colorem in-  
 ducebant.

rum turbida vis morbi sensum atque intelligentiam depulit, confusa atque incerta jactatis, & inanium per rerum figmenta bacchamini. Ita Arnobius: quæ etiam Pontificiis, perfugio, quod supra expressum est, utentibus, dicta sunt.

Rosvveidi exceptio: quod Critici etiam Dei appellatione homines dignentur Criticos.

xxxiv. At occinunt ii heic Catonis illud:

*Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum.*

Ita videlicet Jesuita Heribertus Rosvveidus, in Lege talionis, quam vocat, XII Tabularum, Card. Baronio ab H. Casaubono dicta, retaliationione retorta, tab. v: *Mirum, tam delicati te esse stomachi, qui Vice-Deum, cum a Pontificiis tibi te Pontifice proponitur, concoquere non possis, cum tamen ad hæc Criticorum scitamenta, cum Deus, cum Divi e Criticorum grege quipiam proponuntur, minime stomachus tuus nauseet. Legistin' de Scaligero, amico tuo, ab amico Lipsio dictum, genus Deorum? an excidit illud, quod quidam e vestris (Heinsius lib. i. eleg. i.)*

*Jam mihi Burdenos mens est deducere Divos.*

*Haud capiunt tantos secula nostra Deos?*

*O anima! o Divum genus, Hunniadumque nepotes!*  
*meministin', Poëtam cecinisse:*

*Scaliger ille Deus, qui multa emendat & auget?*

*Et tamen quis iste Scaliger? Ut non omnino malum eum fuisse Philologum negari non possit, cum toties Patroclianas sellas, cum Stercorios, cum Cloacinas scripta ejus oleant, facile ipse se prodit, ex quorum Deorum genere fuerit. Nulla interea hic Criticis nausea oboritur, cum oris tam impuri homo Deus vocatur: mellea hæc nomenclatio, & sesamo sparsa. At vero cum Pontifex a quopiam Vice-Deus dicitur, statim mollicellis, delicatulis Criticis stomachus evertitur.*

Responsio.

xxxiv. Resp. Quasi vero de nudo DEI nomine disceptaretur in præsentī, deque mero vocabulo. Non ignota nobis adagia: *Homo homini Deus; Deum esse, Deum fieri; Deum facere;* ac similia; de quibus videri potest Erasmus in Chiliadibus, & Taubmannus ad Plauti Curculionem act. i. sc. iii, ii. ac Pœnu-

Pœnulum act. iii, sc. iii, 85. Sed Deum *ἐν ἑνότητι, ἀλλ' ἐν  
πείσματι*, esse velle Pontificem, evidenter ostensum est num.  
ix. spectantque eo attributa, actiones, & operationes uni DEO  
propriæ, spectat divinus cultus, spectant tot illustria de sum-  
mo DEO & Salvatore CHRISTO agentia Scripturæ S. testimo-  
nia, quæ Papam sibi rapere supra docuimus, ulli autem Cri-  
ticorum a Critico ullo umquam tributa fuisse nemo di-  
xerit.

xxxvi. Sed heic iterum obvertunt Romanæ curiæ pa-  
rasiti, talia per quandam duntaxat *accommodationem* ad Præ-  
fulem suum referri, non autem sensu literali de eodem dicta  
esse censeri.

xxxvii. Resp.

*Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.*

Hoc sane pacto propria vineta cædunt Doctores Pontificii,  
& gladium dant qui se occidat. Ecce enim, propugnaturus  
veram Salvatoris nostri deitatem contra anti-Trinitarios Bel-  
larminus, libro 1 de Christo, fundamenta petit, & recte qui-  
dem, ex nominibus, attributis, & operibus Dei, ex testimo-  
niis item Scripturæ de summo DEO citra controversiam a-  
gentibus. Tale videlicet ejus argumentum est:

*Cui nomina, attributa, & opera veri Dei, testimonia item  
Scripturæ S. de vero DEO agentia, conveniunt is ipse est  
verus Deus.*

*Atqui CHRISTO conveniunt ista omnia. E.*

Ibi vero anti-Trinitarii Majorem propositionem admitti a  
se ajunt, si de eo accipiatur, cui literali & ex ipsis verbis pro-  
xime fluente sensu ista convenient; negari autem, si capia-  
tur de aliquo, cui per accommodationem quandam tribuan-  
tur. Atque ita negant Minorem, si quidem id velit, quod  
loca Scripturæ, quæ de summo DEO ejusque attributis & o-  
peribus agunt, sensu literali sumpta de CHRISTO exponi de-  
beant, solam heic accommodationem largientes. Audi ad-  
versus Eutropium ea disputantem Socinum. *In hac adver-*

E. 3

*sariæ*

Excusatio 2.  
quod divina  
elogia Scri-  
pturæque de  
DEO & Chri-  
sto agentia te-  
stimonia ad  
Papam duntaxat *accom-*  
*modentur.*  
Pontificii sua  
illa locorum  
Scripturæ S. ad  
Papam ac-  
commodatio-  
ne, anti-Trini-  
tariorum cau-  
sam juvant.

sarii argumentatione, scribit is, continetur fons omnis erroris circa Christi personam. Quia enim nonnulla inveniuntur apud V. T. Prophetas de ipso DEO dicta, aut predicta, quæ in T. N. ab Evangelistis atque Apostolis vel Christo tribuuntur, vel ad Christum ACCOMMODANTUR, idcirco opinati sunt, Christum essentialiter esse ipsam Deum. Gemina habentur in Catechesi Racoviensi sect. iv. cap. i. ubi de locis Scripturæ agit, quæ per quandam applicationem Christo ACCOMMODANTUR, & naturam in eo divinam videntur probare, ut ipsa loquitur. Annon ergo pollicem Socino ejusque sociis premunt Pontificii, quando sua illa dictorum Scripturæ ad Papam accommodatione eorundem vim demonstrandi divinitatem CHRISTI enervant? Bellarminus sane, probaturus, Filium Dei esse verum Deum, & proinde unum numero Deum cum Patre, loco supra memorato, cap. iv, Primo, inquit, afferemus testimonia, quæ habentur in Testamento Veteri de unico & vero Deo Israël, & in Testamento Novo exponuntur de Christo. AD QUOD ARGUMENTUM NULLA POTEST FINGI SOLUTIO. moxque adducit, numero septimo, testimonium II. IIX, 14. ubi summus Deus lapis offensionis dicatur & petra scandali; quod ipsum CHRISTO Lucas, Petrus, & Paulus tribuant. At vero idem ille Cardinalis, loci hujus mentionem faciens sub initium præfationis in libros de Summo Pontifice, Quamquam, ait, hæc verba in CHRISTUM præcipue convenire non ignoramus, eadem tamen non inepte in CHRISTI Vicarium quadrare censemus.

Bellarmini  
varia & in-  
constans de  
locis II, 13, 14.  
28, 16, senten-  
tia.

XXXIIX. Ubi pro istis: Hæc verba in CHRISTUM præcipue convenire non ignoramus, quæ nunc in expressis Bellarmini editionibus exhibentur, olim in ipsius dictatis ita fuisse lectum: Ne quis dicat, ista in CHRISTUM convenire, non Petrum, subjungit Propbeta: In fundamento fundatum, id est, fundamentum post fundamentum, fundamentum secundarium. - Est igitur Petri sedes lapis probatus, angularis, pretiosus, in fundamento fundatus; testatur πολυαδίστατος ille Angelus, Johannes Rainaldus, in Appendice libri de Romanæ Ecclesiæ Idololatria, num. 6. & in colloquio cum Jo. Harto, cap. II, pag.

pag. 80. seqq. Nempe initio, unice ad Petrum Isaianam spectare prophetiam, credidit Cardinalis, postea autem ab aliquo monitus, hac ratione scriptoribus N. T. θεοπιεσους contradici, de CHRISTO eam diserte exponentibus, ad accommodationem confugit. Sed eo ipso anti-Trinitariis suppetias eum ferre palam est, dudumque monuit jamjam memoratus Rainaldus in doctissima Censura Apocryphorum V. T. prælectione xx. Sub cuius finem argumentum Bellarmini anti-Socinianum tangens, cuius supra meminimus. *Quod si, ait, quam recte hoc defendit, tam ipse constaret sibi, vere posuisset fundamentum indissolubile. Nunc, cum affirmet, hæc, etsi præcipue ad CHRISTUM spectent, non inepte tamen quadrare etiam in Vicarium, imo ea, que habentur Esaia 28, 16. omnia ad Petrum pertinere; demonstratio illa, cuius nullam dari posse solutionem dixerat, accepit solutionem ab ipso Bellarmino: qui non solum posse hæc ad Petrum spectare dicit, sed & ei soli accommodanda, ex posteriorum vocum interpretatione: In fundamento fundatum. Si loco priore concludat recte contra Arianos, erravit posteriore, & Rom. Pontificem ut Deum constituit in domo Dei. Qui enim positus est in lapidem offensionis, &c. is est vere Deus: quod tamen ipse de Rom. Pontifice affirmat. Vehementer igitur opto veritatis causa, ut id correxerit, aut etiam corrigat, ne patiatur tantam labem aspergi nobis ab Arianis, dum conatur turrinam Babylonicam extruere, etiam cum præiudicio divinitatis CHRISTI. Si non erret in posteriore loco, nihil agit in priore contra Arianos.*

xxxix. Tandem, ubi alia, quibus sine rubore utantur, non suppetunt perfugia, in eo malæ causæ præsidium quaerunt Romanenses, quod Papa ipse non tales sibi titulos summat, talia arroget elogia, ut supra memoravimus; sed adulatorum ea sint, qui sponte sua, nec rogati, assentatiunculis ejusmodi Papæ aucupentur gratiam.

Excusatio  
quod ipse  
Pontifex di-  
vinos sibi ti-  
tulos non su-  
mat.

xl. Resp. Esto, possit hoc pacto scædum ἀνθρωπολατρείας Examen-  
crimen de se depellere Pontifex, an statim sic noxam hanc  
tota purgabit Romana Ecclesia; intra cuius sane pomeria  
palam.

Papa. divinos  
honores ipse  
sibi sumit.

palam & ore pronunciata, & calamo scripta, & typis expressa sunt, quæ antea recitavimus? Sed falsum est, Papam ipsum sibi honorem divinum non sumere. Aliud manifesto docent exempla Nicolai I, de quo num. VII, Innocentii III, Gregorii X, Johannis XXII, Bonifacii IX, Martini V, Leonis X, de quibus num. XI, XII, XV; Hadriani IV & Gregorii VII, de quibus num. XV. Et quamvis non omnes ac singulæ Pontifici ab assentatoribus tributæ appellationes, proprietates, & operationes divinæ, quas supra recensuimus, ejusdem jussu vel rogatu ipsi sint datæ, sufficit tamen, quod eas admiserit, quod oblatos divinos honores non abominatus sit, nec tam impie de se loquentibus, inque absurdam adeo ac enormem adulationem progressis Oratoribus & Poëtis modum limitesque posuerit, imo debita ratione in illos animadverterit. Olim & Gentiles improbarum ejusmodi vanitatum culpam in Poeticam conjicere licentiam nitebantur. Quid vero ad hæc

Qui non contradicit & obstitit falsæ doctrinæ ac cultui, reum se ejus facit.

Arnobius? *Concedamus, ait libro IV, ut dicitis, deformitatum tantarum concinnatores esse atque inventores Poëtæ: immunes tamen a Deorum maletractatione nec sic estis, qui aut talia cessatis maleficia vindicare, aut non legibus latis & severitate pœnarum tanta istis obviam temeritati, constitutumque a vobis est, ne quis posthac hominum id, quod esset turpitudini proximum, aut Deorum indignum majestatis, loqueretur. Quisquis enim patitur peccare peccantem, is vires subministrat audacia. & libro V: Si, ut reminiscor, falsa est Theologia Poëtica, & mendaciis interpolata fallacibus, ambigere hominum nullus potest, quin causa vos sitis offensæ, qui vel talia quosdam conscribere siveritis, aut conscripta durare seculorum in memoria sitis passi.*

Scripta apotheosin suam stabilientia R. Pontifex partim aperte approbat & confirmat, partim ita tolerat, ut

XLI. Sane Concilio Lateranensi, illi, secundum Bellarmini computationem, XVII œcumenicæ Synodo, tamquam Præsides interfuerunt, Julius II, & post hujus obitum, successor ejus Leo X, pronisque auribus exceperere quæ de divinitate Papali palam in habitis ibi orationibus Prælati eruçantur aliique Romanistæ, supra ex parte nobis memorata.

Tantum

Tantum vero abfuit, ut eo nomine reprehenderentur parafiti illi, aut Pontificum indignationem incurrerent, ut potius Leo Synodi istius Actis, quemadmodum hodieque leguntur publice, & Romanum istud idolum in dictis illis panegyricis nobis sistunt, ipsemet approbatione sua robur & pondus addiderit, perque Jacobum Mazochium, Romanæ Academiæ Bibliopolam, ex vero originali ea edi curaverit. Similiter Tomis Conciliorum, prout in ipsa Rōmana Ecclesia sunt editi, inserta vifuntur Acta Synodi Senensis, unde num. ix. quædam produximus. Nec fides, credo, negabitur Ceremoniali Romano. Publica item auctoritate Papali munita sunt Corpus Juris Canonicum, ejusque Glossa. Et quamvis æque de Canonistarum aliorumque Romanæ Ecclesiæ Doctorum scriptis generatim omnibus, quibus apotheosis Papæa stabilitur, idem affirmare non liceat, tufficit tamen, numquam ea fuisse in librorum prohibitorum catalogum a Pontifice relata, vel saltim in Indices expurgatorios, tametsi quædam illorum in ipsa urbe Roma excusa fuerint, Pontificique ab auctoribus suis dicata & oblata; ut tanto minus notitiam ejus effugere potuerint. Licet enim Index Hispanicus adeo curiosus sit ac religiosus, ut Bucerum & Zwinglium *Theologos* vocari, Zafium, *Clarissimum*, Christophorum, Ducem Württembergicum, *Præclarum*, tolerare non possit; Papam interim dici Homine majorem, majorem Angelis, Deum Omnipotentem, & adorandum Dominum Deum nostrum, Sponsum Ecclesiæ; hæc, inquam, & similia plus quam impia, putida, ac inepta elogia, nusquam delere jubet. Johannes sane Baptista, ubi, an forte promissus ille dudum orbis Messias esset, rescire vellent Ierosolymitani, non tacuit, non mussitavit; sed ἀμολόγησε, καὶ ἐν ἡγήσατο, καὶ ἀμολόγησεν, ὅτι ἐγὼ εἰμὶ ἐγὼ χριστός, professus est, & non negavit; professus est, inquam: Ego non sum Christus; Joh. 1, 20. Quid? non solum non delere jubet hos titulos idololatricos Romana curia, sed & (o perfrictam meretricis Babylonica frontem!) contra-

non patiat  
is a quo-  
quam contra-  
dici.

24

25  
21

2

15

1

1

16

3

3

3

ria prorsus ratione libros palam improbat, legique prohibet, quibus luxuriantium ejusmodi parasitorum enormis audacia quocumque modo notatur ac reprehenditur (exemplo fit Francisci Zabarellæ liber de Schismate, unde supra, sub finem num. xxvi nonnulla laudavimus) quemadmodum & pœna in eos animadvertit, si potest, qui contra pudendam ejusmodi assentationem vel hiscere audent. Vide supra num. xxvi.

Agrippa pœnam luit, non quod Deum sed dici mandaret, sed quod talem se dici a populo permitteret.

XLII. Quando Herodi Agrippæ, induto veste Regia, confidentique pro tribunali, & concionanti, populus acclamabat: *VOX DEI, ET NON HOMINIS!* illico percussit eum Angelus Domini, eo quod non tribuisset gloriam Deo, & erosus a vermibus exanimatus est, Actor. xii, 21. seqq. Ecce, pœnas ab Herode divina poposcit Nemesis, non quod ipse Deum ex homine se fecit, aut illud, Θεὸς φωνή, καὶ ἐν ἀνθρώπῳ, acclamare sibi populum jussit, sed quod ἐν ἐπέπληξε τέτοις ὁ βασιλεὺς, εἰδὲ τὴν κολακίαν αἰσεβῆσαν ἀπειροψάτο, neque illos, qui acclamarunt, objurgavit, neque impiam eorum adulationem repudiavit; uti sub finem libri xix Antiquitatum Josephus scribit, auctor quidem ὁ ἕξω, sed hac in re illo, qui Christianorum omnium Principem se jactat, quique ab hujus nutu pendent, longe sapientior. Quemadmodum & Agrippæ assentantes Judæos Pontifici palpantibus Lojolæ sociis excusabiliores esse judicant Parochi ac Theologi Parisienses, dum in scripto Jesuitis opposito, ad quod jam supra, num. xvi. provocavimus, non procul ab initio, mentionem facientes loci, de quo nunc agimus, *Ista*, inquit, *populi adulatio minus erat peccaminosa, quam isthac Jesuitarum* (qua scilicet Papæ tribuunt, quæ unius Dei sunt.) *Poterat enim illa accipi pro subito letitia impetu, qui non semper rectam rationem sequitur. -- Hic vero (in Theisibus Jesuiticis) delibero consilio, obfirmato proposito, & cum formatione atque erectione certi dogmatis & assertionis Theologicæ, Papæ tribuitur, non inane aut sensu carens nomen, sed unius ex gloriosissimis Dei titulis, quique nulli alias creaturæ est communicabilis: nimirum, quod verbum* ejus

*ejus tam sit infallibile, ut ejusmodi mereatur fidei divine assensum, qui non nisi prima ac summa Veritati absque idololatria præberi potest.*

XLIII. Sanctorum si exempla intueamur, quos sacra nobis pagina commemorat, divinos honores non solum non ambisse illos, sed &, si offerrentur, manibus pedibusque, ut dici solet, ipsis oblectatos fuisse novimus. Cum Lytrenses sacrificare vellent S. Paulo & Barnabæ, *diruptis vestibus suis insilierunt in turbam, clamantes ac dicentes: Viri cur ista facitis? Nos quoque homines sumus, iisdem vobiscum affectionibus obnoxii*, Actor. xiv, ii. seqq. Ubi Cornelius Centurio ad S. Petri pedes procidens, adorare illum vellet, *Petrus erexit eum, dicens: Surge: Ego ipse homo sum*, ibidem cap. x, 25. 26. Quod exemplum tanto diligentius heic notandum est, quod Pontifex Romanus Petri successorem se jactat, & quidquid habet auctoritatis ac potestatis, ratione muneris sui Papalis, id totum a Christo in Petrum primo collatum, indeque in se, successorem ejus, derivatum fuisse dicitur. Nempe quem honorem Petrus respuit, suaque dignitate majorem judicavit, eundem & Pontifex, vel ob illam quam diximus causam, repudiare deberet. Quod is tantum abest ut faciat, ut potius contraria omnia ab eo fiant. Nam quando B. Petrus delatum sibi ab homine Cornelio honorem reprobavit, quod & ipse homo esset, quem non deceret, cultum humano majorem, ejusque dignitate superiorem, admittere; Papa e contrario venerationem ejusmodi ideo recipit, imo affectat, quod homine major esse credi vult, imo plane hominem se esse negat. Vide supra num. iii, x. quando Petrus Centurionem ad pedes suos procidere vetuit, Pontifex honorem hunc a summis etiam Imperatoribus & Regibus accipit: imo cum vitæ etiam periculo omnibus coram ipso, sublimis quando ab hominibus gestatur, in terram procidendum est. Optime ex ipsa Schola Romana Polydorus Vergilius, lib. iv de Rerum Inventoribus cap. xiii: *Voluit procul dubio Cornelius Centurio pe-*

Sancti, quorum Scriptura S. facit mentionem, oblatos honores divinos non solum non receperunt, sed omnibus etiam modis recusarunt. Quorum exempla, Petri præsertim, cujus nempe successorem se jactat, cum imitari Papa deberet, contraria facit omnia.


des Apostoli Petri osculari: sed Pater mansuetudinis plenus id fieri non est passus; qui elevans eum ad pedes jacentem dixit: Surge; & ego ipse homo sum. O vocem memorabilem, atque salutarem, si bene multi homines sese quoque homines tantum esse perpenderent, qui propterea, quod Sacerdotio præditi sint, plane se reliquorum mortalium, longe post hominum memoriam, imperiosissimos Dominos præbent, non communes patres, uti fieri deberet. Ipse sane Angelus, cum proci-deret ante pedes ejus S. Johannes adoraturus, dicebat: ὁρα μή. Σύνδαλός σου εἰμι καὶ τῶν ἀδελφῶν σου τῶν ἔχόντων τὴν μαρτυρίαν, ἵνα Ἰησοῦς, τῷ Θεῷ προσκύνησον. Vide ne feceris. Conservus tuus sum. & fratrum tuorum, qui habent testimonium Jesu. Deum adora! Apocal. xix, 10. Sed quid Papa hoc curat: qui non solum Angelis superiorem se facit, inque eos imperium sibi sumit, sed & ex hac ipsa Angeli modestia arrogatam sibi auctoritatem im-mensam stabilire hæud erubescit, ut cui frons omnis dudum periit? Vide supra num. iv,


Quod ne An-  
gelus quidem  
a S. Johanne  
voluit adora-  
ri, id in rem  
suam vertit  
R. Pontifex,


I. Timoth. I, 17.


REGI ÆTERNO, IMMORTALI, INVISIBILI,  
SOLI SAPIENTI DEO, SIT HONOR  
ET GLORIA IN SECULA  
SECULORUM!  
AMEN.











tamen Cardinalis Alberoni in Papam jam eligi;  
in ratione titulum Pii bellatoris mereretur, qui  
in Hispania antehac exorta tanta malitia gefsit.  
Conspiraciones & machinationes suscepisse novi-  
deo facile credere solemus, quod immutatô pro-  
ris extiturus cultor sit. Potius ex litera A. E.  
cto Pontifici competere debebat, conjecturare  
gendum fore Cardinalem CONTY Roma-  
opum Tarsensem, Virum plus quam Sexagena-  
enim illius nomen est Michaelis Angeli de Co-  
notat:

Angelus de Comitibus Electus.

jam orbis sibi de eo polliceri debeat, perfecte  
edocent. Quivis cui status hodiernus Europæ  
ea ponderare, suasque super illa observationes  
Illud enim certum omnino est magnas nobis  
tiones, quæ quoad plurimam partem à curia  
anâ. Erit nempe Pontifex noster Bellator pius,  
& crucis defensor. Quid de eo clarius dici,  
tura ejus facta melius exprimi possent, ita ut qui-  
et facile, quam hoc modo. Sane nostra vatici-  
passu ab omnibus aliis differunt, quæ de Pon-  
extant, cum in illis omnia æquivoca obscu-  
t, ut sensus illorum ad oraculorum gentilium  
ando saltem assequi, non vero uno obtutu co-  
n hanc classem, prophetiæ quoque Malachiæ  
tantum non obscurissimæ, futuraque secula  
saltem partem imperfectissime describen-

Es

